CHRISTO JUVANTE!

DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA,

DE

ANIMÆ HABITUDINE AD CORPUS, SPECIATIM QVOAD MIXTIONIS CORPOREÆ CONSERVATIONEM,

SUBNEXIS

GENUINÆ PRAXEOS FUNDAMENTIS,

Qvam

IN ALMA ac PERANTIQVA HIERANA,

GRATIOSO AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU,

Sub UMBONE

VIRI PRÆNOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI ac EXPERIENTISSIMI,

DN. JUSTI VESTI,

MED. DOCT. PATHOL. PROF. PUBL. & FACULT. MEDICÆ ASSESSORIS GRAVISSIMI,

DN. PRÆCEPTORIS, PATRONI ac PROMOTORIS omni reverentiâ colendi,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA HONORES, JURAqve ac PRIVILEGIA DOCTORALIA legitimè capessendi,

Placidæ Eruditorum συνζητήσει

Ad d. 19. Octobr. M. DC. XCIX.

Horis locoque consvetis

submittet

CHRISTOPHORUS Ifermann / Molhusinus.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS atque PRUDENTISSIMIS,

LIBERÆ ac IMPERIALIS CIVITATIS MOLHUSINÆ

DOMINIS

CONSULIBUS, SYNDICO, SENIORIBUS,

OMNIBUSqve ac SINGULIS

TOTIUS ORDINIS SENATORII MEMBRIS

GRAVISSIMIS, SPECTATISSIMIS, MERITISSIMIS,

PATRONIS, EVERGETIS, Studiorumqve meorum PROMOTORIBUS

Maxumis, omni reverentiæ ac observantiæ cultu prosequendis,

Primam hanc Ingenij fœturam offert

AUTOR.

VIRI

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI ac PRUDENTISSIMI PATRONI atque MECÆNATES omni pietatis cultu æviternum devenerandi!

INgenij huic fœtui, VOBIS DIIS NIXIIS *feliciciter excluso quos Susceptores seligam, non est, quod diu deliberem.* CELEBRE PATRIUM GYMNASIUM, *quod Vestris alitur sumptibus, tanquam bonarum artium Formatrix prima posuit rudimenta,* ILLUSTRIS JULIA *addidit augmentum,* ANTIQUA GERANA *ultimam adjiciens manum, dansq́ complementum in lucem profert, undique* GRATIA VESTRA *cooperante. Quidnî igitur sepositis omnibus scrupulis* VOBIS, *Musarum Æstimatores, eundem exponam, uti antiquitùs in Via publica prætereuntibus recens natos: Vestrûm erit, eundem tollere. Inspicite vultum, haud obscurum indicem, cujus sit progeniei.* Animam *in fronte circumfert. Heu! quàm optimè Progenitoris faciem refert. Estis Vos Reipublicæ Anima, qua destituta emortua conspiceretur, jam olim votivo calamo nostro ita ludente. Anima verò quàm digna res est? Ad cujus adspectum cœcutiunt etiam ipso Argo oculatiores. Potior*

pars hominis, quæ absente homo, homo esse desinit. Hanc verò illotis manibus num attrectat Medicus? neutiquam. Vendicat hanc sibi Medicina ferè propriam: in vitiosis ejus motibus corrigendis Medicina sese reddit Theologiæ sociam, Jurisprudentiæ æmulam, Ethicæ verè Practicæ fundamentum; breviter: Centrum totius Philosophiæ non immeritò dixeris Medicinam. Dignam igitur Materiam selegi, quam examini submitterem, universam Artem Medicam in exigua tabella, licet rudi penicillo quasi adumbrans, & uni obtutui subjiciens: dignam, quæ VESTRORUM NOMINUM SPLENDORE *superbiret. Verùm cum more recens natorum nondum firmis talis incedere queat, Vestro indigebit fulcimento. Animam ergo hanc* VOBIS DIIS TUTELARIBUS *commendo, Vestras ego Protectionis Divinæ alis, ut operentur Vitam longævam,* naturalem; *felicem,* civilem; æternam, *beatam: id quod precatur animitùs*

Dabam in Perantiqua Hierana
die 16. Octobr. M.DC.XCIX.

Vestrar. Magnif. Excell. atque Amplitud.

Devotè Submissus

CHRISTOPHORUS **Isermann.**



PROŒMIUM.



Xhibeo Tibi, Candide Lector, flosculos ex Præclarissimi nostrorum temporum Medici Scriptis, quæ hactenus lucem viderunt decerptos, meis subinde interspersis. Procul dubio plurimis eorum odor ingratus erit ac molestus, quorum scilicet nares præconceptarum opinionum muco sunt obductæ, nec tamen prorsus despero, quin aliquibus saltem emunctioris naris, aliqualem svaveolentiam sint spiraturi. Est hoc commune omnium fermè Scriptorum fatum, ut laudentur ab his, culpentur ab illis, conquerente ita jam tum Præstantissimo Viro in sua pereleganti *de Æstu Maris Microcosmici Dissertat.* Utut igitur & meas Junones & meos etiam angves sensurus sim, neutro tamen horum moveor, nec enim vanam gloriolam aucupandi gratia Schisma quoddam affecto, nec etiam cavillantium morsibus me deterreri sinam. Potior his mihi est Veritas, & Proximi langventis Salus, quam uti omnibus

mnibus

mnibus meis conatibus, ita & hisce promoveam, benignè concedat Sanctissimum Numen!

CAPUT I.

ANIMÆ Considerationem ad Medicam Utilitatem restringit, ac Inscriptionis rationem brevibus exponit.

§. I.



Ti satis diffusa, ita non minus abstrusa quoque est Animæ consideratio, hinc nisi statim sub initium certos limites constituo, planè despero de materiæ hujus digna enodatione: abdita autem & tenebris adhuc involuta cùm sit, tùm quoad essentiam seu modum existendi, (*juxta J. Heurn. Op. Tom. 1. p. 11.*) tùm quoad unionis ejus cum corpore modum, nec ego h. l. easdem tenebras dissipabo, nec perplexas hactenus de eadem sententias saniores reddere, aut plus luminis iisdem affundere conabor, cùm in hoc passu verissimum permaneat effatum Præclari quondam Theologi, & de Ecclesia Christi optimè meriti *D. Gerhardi: De Anima disputabunt, donec fient exanimes:* præprimis cùm hæc novisse vel ignorare Artis Medicæ non magni intersit. Quamvis enim juxta effatum *Celeb. Fr. Hoffmanni* humanæ mentis conjectura perplexum hoc vinculum (quod intercedit animæ cum corpore) nec capere, nec attingere queat, sufficit tamen Medico, nosse miram esse commercij utriusque necessitatem, & facile unius vitium in alterum transfundi. (*Diss. d. Somnamb. §. 1.*)

§. 2. Proin mens mea est, non à priori Animam, ratione scilicet substantiæ seu existentiæ intueri, nec unionem ejus, ceu Entis Spiritualis cum corpore rimari atque perscrutari:

ſcrutari: in quibus explicandis patiar Philoſophos purè ſpeculativos ſeſe defatigare, otiumque conſumere, cum mihi ut Medico, ſive qui utilitatem practicam ſpecto, alia ſit calcanda via: ſed á poſteriori & ab effectu, non quid præſtare posſit, ſed quid revera corpori præſtet Anima (de quo perdoctè diſſerit & ſolidæ Scientiæ fundamentum eſſe ſtatuit *Acutisſ. Stahl. d. mot. hum. ſpaſmod. cap. 8. p. 27.*) contemplaturus ſum. Priores enim iſtæ inveſtigationes in nuda ſpeculatione acquieſcentes ſine ordine & reſpectu ad id, quod uſui eſſe poteſt, ſteriles non ſolùm ſunt & otioſæ, ſed & interdum planè ridiculæ: cujus farinæ ferè eſt inſulſa iſta Novatoris cujusdam ſententia de immortalitate animæ brutorum. Omnes ſiquidem concluſiones ejusmodi nihil poſitivi inferunt, quæ procedunt á rebus ſenſibus objectis ad res extra horum ſphæram conſtitutas. Nihilominus multorum ſciolorum omnis Sapientia in eo eſt poſita, ut multa confusè & arroganter blaterent de immaterialitate animæ, alijsque ejus attributis generalioribus, & (quid abſurdius unquam dici potuit?) neſcio per quam malam ſequelam de immortalitate animarum etiam brutarum, (fortè hoc ipſo à beſtijs non adeò diſcrepantes,) cum tamen nondum genuinam materialium & corporearum rerum ſibi acquiſiverint notitiam.

§ 3. Aliam, ut dixi præ his inibimus viam, ſpectaturi ſaltem actiones Animæ tàm in ſe, quàm ad corpus: & hæ ſpecialisſimè præſentis Tentaminis Objectum & materiam conſtituent. *Eſt ſiquidem Anima illa ipſa ſubſtantia, quæ in homine ſentit, dijudicat, diverſas res ad ſe invicem comparat: corpus tanquam habitaculum & organon ſuum ſtruit, ſtructum ſervat, movet, à futuris læſionibus tuetur, à præſentibus liberat: ſummatim omnes functiones in homine obſer-*

obſervabiles edit, & in his omnibus peragendis ſufficienti notitiâ eſt inſtructum.

§. 4. Hæc Definitio ſi non ubique quadret ad rigoroſas Philoſophorum leges, non magnoperè refert, dicit interim, quid Anima operetur, & noſtro ſcopo accommodatisſima eſt: aliæ autem Definitiones apud alios reperiundæ rem ſæpè magis involvunt & obſcurant, dum notius per magis ignota definiunt, quod facile eſſet demonſtratū, niſi lubens ab omnibus ijs, quæ litem inferre videntur, abſtinerem. Non autem Anima, prout habet hæc Deſcriptio ſive quoad omnes ſuas operationes noſtræ eſt conſiderationis, ſed quoad ultimam deſcriptionis partem, quæ actiones ſpecialiter vitales concernit, & ſpecialisſimè, quæ in corpore jam ſtructo obſervantur, prout ita ipſam rubricam velim intellectam.

§. 5. Tractat igitur & Medicina nobilisſimum Objectum, Animam ſcilicet, valeant enim, qui ſolum corpus objectum ejus ſtatuunt, quaſi Corpus ut tale ullas functiones præſtare aptum ſit ſine hoc Movente. Medicus namque conſiderat corpus quatenus vitale. Pollicem mihi premit *Doctisſ. Heurnius*, qui Medicinam non in ſolius corporis, ſed hominis, qui ex animo & corpore conſtat, cognitione verſari aſſerit. (*Oper. Tom. 1. p. 11.*) Habet Animam pro Objecto regeris, ſed quatenus functiones animales edit, verbo, ſenſitivam: verùm cum nec ſentiens à rationali differat, nec ipſi actus fermè unquam ſejungantur, absque ulla conſcientiæ læſione mentali ejusmodi abſtractione ſuperſedere poſſumus. Dein quis inficiabitur, Mentem ipſam, nobilisſimum ejus actum conſiderationis eſſe Medicæ, licet non ita primariò & directè. Num enim Mens poteſt ſubſiſtere ſine hac vitali machinâ? annon ex hujus læſione ſæpisſimè

ſuos

ſuos patitur manes Mens? Et patebit infra pluribus, quòd Medicus omninò hanc debeat reſpicere. Aliter quidem eandem tractat ac Theologus, qui circa habitudinem animæ ad ſalutem æternam erudiendæ verſatur, quamvis & Medicus hunc ſibi nonnunquam finem præfigere non ſolùm ſoleat, ſed & debeat. Morbus primam agnoſcit cauſam primorum Parentum lapſum, poſt hæc ob crimina actualia morbos immittit DEUS, docentibus nos ſacris paginîs. (*Deuteron. 28. &c.*) Agnoverunt τὸ θεῖον jam tùm Venerandus Senex & ethnici Medici prudentiores alij, imò ipſa converſatio cum ægrotis omninò ad cauſas ſublimiores multoties nos ducit, in quibus caſibus utiq; ex Theologia morali ſua remedia depromat Medicus, de quo negotio in erudita Diſſertatione *de Requiſitis veri Medici*, egit *Cl. Schröder* pro his roſtris defenſa (§. 19. ubi allegat verba S. Hieronymi bellè hoc comprobantia, & §. 22. & ſeqq. usque ad §. 36.) Scitè igitur παράδοξόλογος *Helmontius* Mediatorem inter DEUM & hominem Medicum vocat, Deumque ſibi in deliciis poſuiſſe à Medico vinci velle: (*promiſſ. Aut. Col. 2. n. 6. ubi etiam de prærogativa Medicorum præ cæteris agit*) hinc Medicinæ cognitionem à DEO proveniſſe perhibet *Penot.* (*d. præp. med. chym. in præf*) nemoque, *pergit*, niſi DEUM diligens, charitatemque in proximum habens verè Medicus eſſe ullo modo poterit: (*c. l. p. 16.*) Medico verò Chriſtiano, ubi artis præcepta deficiunt, miſericordia & gratia Divina opem ferunt, prout verè Chriſtianè ſcribit *Exc. D. D. Præſes* Præceptor atque Patronus pio ac debito honoris cultu ad ultimos vitæ halitus proſequendus, in aureo libello *Inſtit. Med. Ref. p. 13.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

CAPUT II.

Inquirit, num Anima vitaliter agens, idem numero ens ſit cum rationali? Aff.

§. I.

ANtè verò quàm materiam ſubſtratam ulterius theticè proſequi intendam, id negotij prius mihi videtur incumbere, ut quæſtionem modò propoſitam ventilem, utpote in ſeqq. dein ſupponendam. Cum igitur corpora animalium merè paſſivè ſeſe habeant, ut veriſſimè philoſophatur *Exc. Rivinus*, (*Diſſ. d. Spir. hom. vit. c. 1.* §. 3.) proinde requiritur neceſſariò movens activum, quod appellarunt Animam, quæ etiam appellatio ſecundum *Celeberr. Wedel.* (*Diſſ. d. Archeo* § 1.) antiquiſſima & apud Latinos uſitatiſſima ſemper fuit. Interea vide ſis varias appellationes *ap. cit. Wedel.* quas tribuunt ſpecialiter animæ naturaliter agenti, vulgò ſenſitivæ.

§. 2. Quoniam autem plures actiones in homine obſervabant, ut quidem rebantur, diſtinctas, anſam idipſum dedit novæ ſubſumptioni, ut ad harum functionum numerum etiam tot in corpore humano fingerent hoſpitari animas, quæ ſingulis his præeſſent. Remanſit tamen apud nonnullos dubium, quare à plurimis retrò ſeculis in Schola Medica ad nauſeam usque hæc agitata fuit quæſtio; an ab una, num verò à pluribus animabus omnes hæ actiones proveniant? & etiamnum ſunt, qui contentionis ſerram inter ſe reciprocant. Mota hæc à veteribus lis atque controverſia dirempta quidem eſſe videbatur, dum Philoſophia Renati des Cartes & P. Gaſſendi aliorumque Corpuſcularium ex Democriti puteo rurſus eruta, tanquam nova Lux Scholam Medicam illuſtrabat, quæ unicam Animam rationalem in homine agnoſcit, omnes autem corpo-

ris

ris motus, quicunque ſint, concinnæ partium configurationi & levi impulſui ab æthere quodam ſubtili (qui tamen motor Animæ nomen non meritus eſt) excitato aſſignabant. Nihilominus premitur difficultatibus adhuc undique hæc aſſertio, propterea & nos propoſitæ quæſtioni paululum immorabimur.

§. 3. Tuemur verò eam omninò opinionem, quâ ſtatuitur, unam eſſe Animam & idem numero agens, quod tàm actus mentales, quàm vitales producat: quod aſſertum ceu theſin noſtram lubuit præmittere, mox jam aliorũ hypotheſes ſubjungendo, quo veriſimilitas hujus vel illius magis elucеſcat, noſtram verificare & ſtabilire: quamobrem impræſentiarum eâ, qua fieri poteſt brevitate, iſtas recenſebo.

§. 4. Cum autem farraginem omnium opinionum, quas unquam foverunt Philoſophi, non capiant præſentes pagellæ, ſiquidem ſi præterita tempora ſpectes, eædem ſunt quàm plurimæ, ad noſtra ſi mentis oculos dirigas, longè illarum numerum ſuperant, ut ſanè ſi ullibi hic quadret illud: *quot capita, tot ſenſus*: ideò ſaltem communiores & receptiſſimas hactenus, quæque apud probatiores applauſum meruerunt, in ſcenam producam. Accuratius autem eas penſitanti, duplices eſſe patebit. *Primâ*, cujus anteſignanus præcipuè ſubtilis Carteſius, conceditur quidem, hominem ex duplici hac ſubſtantia Anima ſcilicet & Corpore conſtare, actiones autem utriusque valdè eſſe diſtinctas, ita ut aliæ actiones referantur ad ſolam animam, ceu ſunt purè mentales, aliæ ad ipſum corpus. Quoniam verò utique principium aliquod movens, quod actiones ita dictas corporeas producat, concedere coguntur, ſubtile aliquod corporeum impellens ſupponunt, quod in organis mechanicè conſtructis ſuo elatere tales functiones præſtet:

Animæ autem impoſitione inſignitum, non facilè invenies, quod magis ex neceſſitate injuncta, quam ex arbitrio agat: Actum autem ſolum rationalem Animæ nomen mereri cenſent, inter quam quidem & corpus aliquod commercium intercedat, verum quæ corpori in vitalibus uſum præſtet nullum. Verbô: duas diſtinctiſſimas ſubſtantias in homine concedunt, unam eſſentiæ Spiritualis, divinam particulam auræ, quam ſubſtantiam cogitantem definiunt, utpote quæ in ſola ratiocinatione ſuam exſerat vim, & propter hunc ſolum uſum corpori humano indita, non autem ad viliorem, qualis eſſet corporis curam gerere, deſtinata ſit; (Ut etiam ſecundum nonnullos dicti veritas hinc eluceſcat: Animam in corpus tanquam in carcerem detruſam fuiſſe) alteram, Corpus illud in tres dimenſiones extenſum, quod oculis videmus, manibus palpamus, & cujus elegantiſſimam ſtructuram admiramur: hocque corpus per ſe vitâ fungi, ſive in ſe habere principium illud vitale movens, & conſiderarunt inſtar alicujus machinæ, varios motus ex ſola ſtructura & impellente quodam fluido edentis. (*vid. Sperlette Phyſ. nov. p. 228. & ſeqq.*

§. 5. *Altera* hypotheſis eſt eorum, qui præter animam rationalem aliam adhuc Senſitivam ſtatuunt, omnium functionum vitalium præſidem, adeòque ipſius vitæ auctorem. Varijs appellatur nominibus, prout ex *ſupra alleg. Diſſert. Magnif. Wedelij* videre eſt, quas appellationes omnes hîc recenſere nullius eſt utilitatis communiſſima autem appellatio ab Helmontij inde temporibus recepta eſt *Archei*. Hoc agens differt à priori, quod liberè agat & cognitione, quid vel quomodo agendum, ſufficienti præditum ſit. Videtur itaque præferenda horum ſententia alteri, ſiquidem in omnibus ferè functionibus videmus Agens iſtud ſecun-

dum

dum hanc ſuam potentiam cognoſcitivam operari, ita ut continuò obſervet finem, cur agat, modum quomodo agat, organa, per quæ agat, & tempus, quô commodè hæc agat. Id quod exemplis inferius recenſendis evadet clarius.

§. 6. Penſitatis probè his ipſis circumſtantiis, quibus omnia conſiliô & prudentia in corpore noſtro perfici manifeſtum eſt, concluſio nunc erit facilis de ea hypotheſi, quæ concinnam organorum ſtructuram & levem impulſum materiæ ſubtilis ubique ſufficere exiſtimat. Agnoſcimus quidem artificioſisſimam compagem & mechanicam omnium corporis partium configurationem, ejusque accuratam detectionem utique indefeſſæ induſtriæ & ſolertiæ Virorum hujus præprimis Sectæ deberi fatemur, id tamen pernegamus his motibus compar eſſe ſuppoſitum ab ipſis Agens. Corpus juxta mechanicas leges conſtructum à ſummo Opifice concedimus, agens tamen ipſum non eſſe mechanicum, hoc volumus & urgemus. Evincit hoc natura ipſius machinæ, quæ eſt ejusmodi opus artificiale, quod ex ſua ſtructura & conformatione varia, mediante quodam fluidô vel mobili *certas tantum* & ſuæ ſtructuræ *proportionatas* operationes edit: vocantur aliàs Automata. Ita notisſima ſunt Automata, quæ horas indicant, quorum motus rotulis & elateri ſunt adſcribendi, itidem quæ certos modulantur cantus, (die Sing-Uhren) quædam imitantur vocem humanam, præſertim machinæ hydraulicæ hodiè penè nemini ignotæ, quæ impulſu aquarum variè moventur & curioſum oculum oblectant, animumque imprudentis in admirationem rapiunt; qualibus horti diverſorum Principum & Magnatum inclaruere, & in quibus conſtruendis prolixus eſt *Scottus in Technic. Curioſ.* Has machinas omnes ſi adſpicias, præter miram configurationem impel-

lente quôdam opus habent, sivè aëre, sive aquâ, interdum alterutrô, nonnunquam utrôque, qualem machinam etiam nostrum corpus esse sibi persvaserunt, nempe hydraulico-pnevmaticam, cujus motus partim ab humoribus, partim á Spiritibus, quos naturæ aëreæ esse dicunt, promanarent. Infero igitur, si nostri corporis motus ex prædictis circumstantiis fluunt, nec coacti sunt, aut nudæ necessitati alligati, omninò rationi consonum esse, provenire eosdem ab alio agente notitiæ rerum agendarum sat gnaro.

§. 7. Suboluit id jamtum plurimis, infirmitatemque hujus dogmatis hac in parte senserunt strenui quidam aliàs mechanicæ Sectæ Sectatores, inter quos *Excellentissimus Rivinus* (*loc. supr. all. cap. 1. §. 4.*) sequentem in modum: Vereor, *inquit*, animalia cum machinis hydraulicis vel automatis comparare, siquidem horum motus continuus & æqualis à principio quodam vel externo, vel si internum sit, non libero dependet; illa veró spontè agunt, nunc partes movent pro lubitu, nunc iterum quiescunt: Et *Mayow* acutus aliàs & felix in fingendis hypothesibus hoc perpendens dubius hæret circa hanc rem, cum particulas suas nitro-aëreas tàm promptè hîc applicare nequeat, hinc (*Op. p. 330.*) animam sensitivam à Spiritibus animalibus (qui cum vitalibus aliàs subtile illud agens constituunt) quid planè diversum esse dicit, eamque in materia adhuc magis subtili æthereâque consistere, Spiritus verò animales præcipuum ejus instrumentum esse asseverat. Pergit *idem*: Circa animam sensitivam nihil aliud intellectu assequi possum, quàm auram aliquam diviniorem à prima creatione sensu donatam, toti mundo coextensam esse, cujus portiuncula in subjecto ritè dispositô contenta functiones tales edit, quales in animalium corporibus fieri cernimus & admiramur.

mur. Materiam autem eam Spirituosam extra animatorum corpora existentem neque sentire, neque quicquam agere, sed planè sopitam inertemque jacere putandum est, haud multo secus ac animæ sensitivæ contingit, dum animal somno sepultum est. *Huc usque Mayow.* Qualia non excogitat titubans! Perpende quæso, circumstantias illas immateriales, quas toties in Scriptis suis inculcat *Excell. Stahl*, & secundum quas motus hi eveniunt, Tempus puta, Gradum, modum, electionem organorum &c. & non invitus in hanc sententiam nobiscum descendes, quæ vult, debere utique hoc Movens sufficienti notitiâ præditum & instructum esse. Duo saltem hujus rei evidentissima exempla exhibebo, quorum primum in observationibus suis elegantissimis notavit politioris doctrinæ Vir *Pechlinus (obs. 48. l. 1.)* de Ventriculo, quæ chylo servirent, retinente, excrementa autem, quæ deorsum non poterant, per os remittente: alterum *Henr. ab Heer (obs. ult.)* habet de Viro generoso multos annos ita vivente, ut sub meridiem pridianum prandium revomeret, retentis accuratissimè omnibus recens ingestis, postridie illa, ut hesterna egesturus, & putidissimè quidē, nec ab alio stercore differentia. Talia exempla plura tàm ex quotidiè obvia experientia, quàm ex alijs Autoribus, J. C. Scaligero, Guarinonio, Panarolo petita narrat elegantioris literaturæ Phosphorus & Vir πολυμαθέστατος *H. Meibomius*, Præceptor quondam meus nunquam sine submissâ veneratione nominandus (*diss. de Vomitu* §. 12.) imo §. 47. ingenuè Acutiss. Autor fatetur, non posse explicari hujus phænomeni rationem. Quis ergò tam hebes est, qui electionem & discretionem materiæ alimentaris & noxiæ hîc fieri rusticè & impudenter neget? Applica hic tuum Mechanismum, & eris mihi magnus Apollo!

§. 8.

§. 8 Quare altera ſententia, quæ tale Agens, ſufficienti intellectu & cognitione præditum ſupponit, tantò probabilior & veriſimilior, propterea etiam eò facilius conciliationem cum noſtra hypotheſi admittit, modò concedatur, non eſſe hoc Agens diſtinctum ab ipſa anima rationali, licet ipſi actus videantur diſtincti. Nec tamen ex exiguo hoc diſſenſu tantæ turbæ timendæ ſunt, quamvis enim affirment duo hæc eſſe diſtincta, nihilominus tamen utrorumque intimum commercium ambábus largiuntur manibus, ut adeoque hæc opinio nihil tantoperè incongrui habeat. Interim cum entia præter neceſsitatem non ſint multiplicanda, neque ulla firma & ſolida ratio ſuppetat, quâ evincatur, actum vitalitatis eidem huic Agenti non poſſe tribui, accedit, quod omni die videamus analogiam iſtam actuum rationalis & vitalis, ex his inquam cauſis aſſerto meo firmiter inhæreo, donec quis melioribus & magis ſtringentibus argumentis inſtructus contrarium edoceat. Nec enim ſufficiens eſt, quod afferunt, ſcilicet cum diſparia ſint naturâ Mens & Corpus, quæ ſine idonei medij interjectu ſocietatem inire nequeunt, ideò à Summo DEO conditam mentem hac purâ ſpendidâque veſte (nimirum animæ ſenſitivæ ſive ſpirituum animalium) indui, ut noſtri corporis incola fiat. (*Jo. Heurn. Op. Tom. 1 p. 12. col. b.*

§. 9. Ex jam allatis manifeſtum evadit, quænam ex duabus his ſententiis noſtræ fiat proximior, quodque exiguum adhuc interſit intervallum, quo minus ubique optandâ harmoniâ conſpirent. Unicus ſcilicet lapis offenſionis eſt, quod animam ſenſitivam diſtinctum ab ipſa rationali ens eſſe affirmet. Quamobrem inhærebimus adhuc paululum his, circumſpiciendo, num unum vel alterum argumentum ſeſe offerat, ex quo certè diſcriminis illius nullitatem

tatem inferre possimus. Id quod non plenariè quidem excutiemus, sed aliquibus saltem exemplis, tot nempe, quot memoria pro nunc suppeditat, probabimus. Et quidem ipsa generositas animi elucet ex vultu, & fortitudinem arguunt micantes oculi, indiciô certô, Agens hoc in ipso formationis negotio hisce partibus aliquid communicasse, quod de interno animi robore signum ferat haud obscurum. Imò norunt ij, qui ex lineamentis vel habitu corporis externo certi quid de internis colligere amant, nonnunquam non infeliciter ex ipsa harmonia externarum partium de animi qualitatibus optimum ferre judicium, quippe quæ fermè nunquam non pulchrè cum corpore conspirant. Pythagoram, Platonem, Scipionem Africanum, qui ob divinas animi dotes, supra humanæ sortis aleam fuisse crediti sunt, egregiam decentemque formam habuisse notat Antiquitas. Quis igitur non videt, formæ venustatem esse veræ pulchritudinis in anima emicantis indicium, mentisque bonitatem in ipsa cutis specie renidere? [*Jac. Cruc. in Mercur.*] Tritissimum verbum est, ut quem Natura nativo quodam vitio seu defectu signavit, & nobis â tali caveamus. Sub sordida interdum cute etiam magnam latere posse sapientiam, tot exemplis convictus inficias ire nolo: verùm quòd in his animi vitia non prorumpant, in causa sæpius est educatio, quod de seipso quondam affirmavit Socrates: Et quamvis etiam tales naturæ vitio laborantes præclarâ doctrinâ sint conspicui, huic ipsi tamen sapientiæ pessima nequitia non rarò est juncta, quam abscondere judiciosè norunt, utpote & calliditas sæpius & astutia prudentiæ speciem præ se fert. Verum ex his generaliter aliquid concludere nequimus nec volumus.

§. 10. Manifestius adhuc τεκμήριον præbent varia animi

C

mi pathemata, corpus mirum in modum alterantia. Sola cogitatio sive imaginatio, quæ tamen actio purè mentalis est, absque rei physicæ seu materialis ullius concursu quantam non exserit vim in corpus humanum? id quod quivis facilè largietur, considerando tot nævos ex sola impressione materna in fœtum traductos. Non allegabo innumera exempla apud Autores passim prostantia, cùm ea quotidie in sensus cuilibet incurrant. Ex rarioribus saltem unum alterumve attexam. Acutissimus *M. Marci à* Krõnland (*Phil. vet. restit p.* 413.) refert, mulierem quandam gravidam Mechliniæ vidisse præ foribus militem in conflictu manum amittere: cujus horrore perculsam mox filiam peperisse alterâ manu truncam, & hæmorrhagiâ ex eo vulnere extinctam. Aliam ibidem visô milite, cui ictu tormenti brachium fuit avulsum, etiamnum cruentum, confestim in lucem edidisse puellam eodem brachio orbam. Uxorem Mercatoris Antverpiæ dùm spectat quosdam decapitari, mox doloribus partus correptam, enixam esse infantem jàm maturum cruento collo, cujus caput nusquam fuit visum. Terrorem ex incendiô faciem rubore quasi igneô tinxisse, desiderium cerasi, pomi &c. fructum in ea depinxisse, ex Marc. cap. 5. & Helm. p. 432. & 858. citat *Rivinus* (*d. Spir. hom. vit. c. 3. 16.*) Referente *Cl. Schradero* [cui plus quâm animam debeo, utpote ex cujus ore dulcissima & utilissima Artis nostræ præcepta hausi,] Parisijs in publica & splendida illa domo, ubi regijs sumptibus incurabilibus morbis detenti aluntur, vixit per 20. annos juvenis, cujus membra & ossa fracta fuerant in ijsdem locis, quibus etiam illis, qui mortis tale genus promeriti sunt, diffringi solent, â forti imaginatione, quam mater hujus miseri hominis tormenta illa adspiciens conceperat.

Plura

Plura exempla *vid. in hist. Med. Phys. Hagend. (obs. 54. Cent. III.)* Imaginationis vi mortui meminit *Henr. ab Heer (obs. VI.)* De Imaginationis vi magnâ vid. Cimbrorum Sidus *Pechlinus (obs. 1. l. 1.)* Germaniæ Decus, nostri ævi Hippocrates *Ill. Wedelius* (de transplant. morbor. thes. 45.) imò exempla hujus effectus plurima collegit Exper. D. D. Werckmeister [*in diss. de Imagin. morb. causa*] Subitam canitiem ex metu mortis vel pœnarum memorat *Jo. Schenck. (obs. 1. tom. 1.)* Huic simile quid relatum mihi est de Viro Generoso, Parente Generalis quondam & Præfecti hujus Fortalitij haud incelebris. Adolescens nobilis ex recepto Gallici contagij timore se perditê torquebat, de quo *Solenand. (Consil. XVII. Sect V. p. 493 seqq.)* Mensium suppressionem nimia tristitia induxit, *teste Gabelchov. (Cent. 1. obs. 51.)* à tristi nuntio obortam fuisse Cardialgiam suffocativam, Vomitus & mensium suppressionem, auctor est *Subtil. Stahlius*, Ordinis Asclepiadei non ultima Laus [*de mot. ton. vit.*] Epilepsiam ex animi affectibus ortam idem *Gabelchov.* recensenset [*C. IV. obs. 59.*] & Joh. Schenck. [*obs. 190. 191 seqq. Tom. 1.*] eandem ex ira notat *cit. A. (C. IV. obs. 23. & 24. p. 42.)* eandem â terrore excitatam refert *Binning. (Cent. 1. obs. 1.)* & *Hagendorn. (in Hist. Phys. Med. obs. 13. Cent. 1.)* imò sunt, qui sibi pro lubitu epilepsiam possunt concitare, quale exemplum ipse novi. Palpitationem Cordis ex ira habet *id. Gabelch. (C. IV. obs. 84.)* Notatu dignam historiam recenset *Excell. Præses* de muliere partui vicina irâ commota, quæ ingentem sentiens hæmoptysin cum suffocationis periculo, artuum tremore & tumore circa mentum, maxillasque exorto tandem peperit tres filiolas mortuas ab iræ vehementia enecatas [*de mict. cruent. p. 11.*] Modô laudatus Dn. Præses narravit mihi quoque exemplum domesticum filiolæ Ipsi

dilectisſimæ, quæ canem cum fele in conflictu conſpiciens tanto terrore perculſa fuit, ut per notabile tempus nullum vitæ indicium ederet. Ex triſtitia [ob amorem patriæ] febrim continuam, ſed non adeó ardentem ſubortam narrat *Harder.* (*de Noſtalg.* §. 4.) cui conſilium datum in patriam revertendi, quo facto in ipſo itinere cum ſanitate gratiam inijt. Mœrorem ex falſo etiam mortis præſagiô ijs nonnunquam inferre mortem, qui thema ſibi erigi curarunt, mihi firmiter perſuadeo. Ulcerationes oris â terrore ab opinione ſpectrorum viſorum evenire ſolent, obſervante rerum Medicarum peritisſimô Stahlio (*de hæmorrh. int. p. 14. ſeqq. l. 17.*) Rarisſimam Syncopen, quam antecesſit mœror ex obitu matris, cum varijs ſymptomatibus ſtipatam vid. ap. *H. ab Heer* (*obſ. 26.*) Puella ad ſtuprum ſollicitata ex ſubitô terrore incidit in epilepſiam (*ap. eund. obſ. 24*) Terrorem ſubſecuta mors, ex relatione *Exp. D. D. Juchij, Hoſpitis & Patroni ad urnam deveneranandi.* Idem refert *Zacutus Luſitanus* (*Prax adm. Obſ. 31. lib. 1.*)

§. II. Ut etiam nonnullos effectus ſalutares animi affectuum annotemus: vehementem iracundiam ægroto paralytico ſalutem attuliſſe videre eſt *ap. Scholz.* [*Conſil. 50.*] quod de Tito Veſpaſiani filio memoriæ proditum eſt. Idem annotat *Jo. Schenck.* [*obſ. 161. Tom. 1. ex Valleriol.*] Paralyticus incendij metu ſe præcipitem è ſuccenſa domo dejiciens derepentè ſanatur, eôdem auctore [*obſ. 160. Tom. 1.*] Epilepſiam ex incuſſo terrore curatam videre licet *ap. Gabelchov.* (*Cent. IV. obſ. 23. & 24. p. 42.*) Calculo renum afflicto poſtquam tabellio lætum nuntium in medijs doloribus attuliſſet, è veſtigio ſpontè prodijt calculus, & ægrum ſollicitudine duplici levavit. [*Act. Haſſn. Vol. 3. obſ. 38.*] Singultus vulgi etiam experimentô â terrore ſiſtitur. Re-

ges

ges Angliæ manuum impositione Strumas curant, quod *Renod.* [*in Dispens. Med p. 17.*] etiam de Galliarum Rege perhibet, illum solô manus attactu Strumas ad perfectam reducere sanitatem: & referente *eôdem*, literarum monumenta fidem faciunt, pollicem Pyrrhi lineosos solô tactu sanasse: quem effectum non immeritò morali causæ, scilicet conceptæ præ Regia Majestate reverentiæ adscribit Academiæ Juliæ Decus *Doct. Schraderus*, primus animi mei ad Medicam Artem Formator (*in Diss. de Idiosyncr. §. 21.*) *Is ipse* paulò pôst suâ quoque ἐμπειρίᾳ hactenus dicta corroborat, quâ adducta etiam hæc exempla claudam & obsignabo: Miri sæpè sunt, *inquit*, affectuum animi effectus, nec in creandis solum, sed & in fugandis morbis non parva eorum efficacia deprehenditur: id quod vel unicô, ubi centum possem adducere, podagricorum quorundam & arthriticorum exemplo patet, qui repentinô magnôque metu correpti, interdum & irâ commoti, subitò & in instanti doloribus suis liberati sunt; ceu variæ variorum Scriptorum observationes id abundè confirmant. Annotat præterea istud Musarum Delicium *Exc. Stahl* (*in Diss. de animi pass. corpus variè alter.*) notabiles quasdam historias, ex quibus animi pathematum proprietates magis in apricum producit. Inter recensitos passionum animi effectus medium sibi vendicant locum ij, qui corpori nec noxam, nec etiam salutem inferunt, adeòque illud non valdè alterant: quorum myriades in medium possemus afferre, nisi adhuc alia dicenda restent. In hunc censum veniunt nausea imaginaria & hanc concomitans per vomitum ingesta rejiciendi conatus, copiosioris item Salivæ profluvium mentione factâ cibi delicatioris. Et quid denique manifestius est in actu Venereo, quàm ipsa Phantasiæ vis? Ju-

cunda cogitatio unicè talem voluptatem parit, partes genitales inflat, erigit atque genituram ad eas transmittit, quandoque absque ullius amabilis Objecti præſentia. Annon igitur hæc omnia Anima?

§. 12. Præcedente §o mentio fuit facta inſigniorum quorundam animi pathematum effectuum, non tamen adeò frequenter obvenientium: hôc jam quosdam magis ordinariè & quaſi eſſentialiter eadem comitari ſolitos enumerabimus, mediantibus quibus prædicti morbi perſæpè producuntur & excitantur, ut non immeritò ſæpius in cenſum cauſarum morbificarum veniant. Differunt hæc animi παθήματα ratione vehementiæ, dùm nimirum quædam celerrimos edunt effectus, quædam lentos, quos tamen utplurimum majori læſione compenſant. Ad priores poſſunt referri Ira, Terror, Gaudium, ad poſteriores Mœror & Triſtitia. Facies iratorum, imprimis habitùs ſangvinei vel cholerico-ſangvinei rubet inſigniter, oculis ſcintillantibus, ſalivâ circa os ſpumeſcente, pulſu immutatô in frequentiorem & celeriorem, aut ſi ira fuerit vehementior, tremore concutitur totum corpus, ſub quo inſigni humorum orgasmo & partium fibroſarum contractione ſpaſmodica facillimô negotiô cauſa morbi in corpore latitans evolvitur, paroxysmi morborum conſvetorum excitantur, vel motus febriles imprimis in cholerici vel cholericô-ſangvinei temperamenti perſonis producuntur, teſtante hoc quotidianâ experientiâ, iſtud verò comprobantibus Podagricorum & Nephriticorum exemplis. *Terror* effectus ferè contrarios inducere videtur, variant tamen paulò ratione invaſionis vel ſubitaneæ, vel lentæ & ſucceſſivæ, in genere conſpicitur in ijs, quos terror invaſit, faciem pallere, habitu corporis contractiore, præcordia an-

gustiâ premi cum palpitatione cordis, & si major is fuerit, communissimè hæc anxietas præcordiorum aliquandiu perdurare solet, insequente dein omnium partium langvore & torpore, accedit nonnunquam quasi frigus quoddam, quod omnia membra percursat, id quod efferunt: **Ich bin erschrocken/als hätte man mir kalt Wasser über den Leib gegossen** / quandoque rigor, nonnunquam lipothymia, imò mors (*Exc. Stahl de infr. morb. pers. p. 24.*) Uberiori & accuratiori facundiâ terroris symptomata tibi delineabit *prælaud. Aut.* (*de Mot. hum. spasm. cap. IV. p. 18. & 20.*) Horum effectuum omnium causa eum latere haud poterit, qui sibi perspectum reddet negotium illud de Motu Tonico Vitali, â perspicacia & sedulitate *Doct. Stablij* nobis detectum, & in diversis Scriptis doctê ab Eodem evolutum. *Gaudium*, nisi magnoperè excedit, non facilè noxam affert, aliàs autem prostant exempla etiam præ lætitia supremum diem obeuntium: interim quâ ratione totum corpus in lætitiam effusorum sese ad has animi motiones componat, notissimum est. *Mœrorem* & *Tristitiam* indicat frons caperata, nec vultus externus valet fallere internos animi luctus & fluctus, qui non solùm corporis partes molliores, laxiores, sed & ipsa ossa consumere & exedere dicuntur. De *Amore* res satis nota est, ut sufficienter loquuntur non corpora, sed corporum umbræ, quorum

est mollis flamma medullas,
Interea & tacitum vivit sub pectore vulnus.

Cùm igitur animi affectus tale imperium in humores & alias partes solidiores exerceant, quæ tamen motu suo potius functioni naturali seu vitali obsecundant, non video, quid obstet, quo minus vitales æquè ac rationales actus ab eodem principio agente derivem. Objiciunt quidem hîc

com-

commune & arctisſimum nexum atque vinculum inter hæc Agentia, verûm lubens reticeo incongruitatem atque inconvenientiam, quâ hæc opinio laborat, tùm ut chartæ & tempori parcam, tûm quod mihi non propoſuerim agere polemicum, & aliorum ſententias examinare, quod nec mihi, nec huic ætati convenit: inertis etiam eſt, judice ſupra laudato *Wedelio* (*in præf. præmiſsâ Zobelij Tartarolog. Spagir.*) ex alius gloriæ funere ſibi tropæum erigere. Unicum ſaltem contra hoc urgeo, ſi Spiritus iſti ſint de natura aëris, quâ ratione his particulis idea quædam imprimi poſſit. Secundò cum continuò intereant & regenerentur, quare non ſimul ſpecies intelligibiles, quæ in Spiritibus ſedem habent, conſeneſcunt? Reſpondet quidem *Fracaſt.* (*Op. p. 381.*) non corrumpuntur ſpecies corruptis prioribus Spiritibus, quoniam in novos & recenter genitos ſeſe propagant & conſervant. At quàm difficillima hæc ſunt conceptu!

§. 13. Ulterius tandem hypotheſin meam firmare annitendo propius adhuc argumentum eſt conformitas undiquaque actionum vitalium & rationalium, (*de qua Exc. Stahl d. Temperament. cap. X.*) adeó, ut quicunque animô ſunt intentô, meditabundô, ſegni, tardô, otioſô, illi ipſi eundem hunc tenorem in actionibus vitalibus obſervabunt: qui contra alacres, agiles, in iisdem magis liberè peraguntur & vigent prædictæ functiones: id quod potisſimum in læſionibus vel actualibus vel imminentibus innoteſcit. Exemplô ſunt ij, qui in rebus gerendis non omnia minima curant, hi in genere non tàm graviter laborant ac decumbunt, ſi lecto affigantur, quàm illi, qui magis ſunt ſenſibiles, timidiores. Conſentaneum igitur ubique experientiæ eſt, quod habet toties laudatus Aut: (*d. infreqv. morb.*

perſ.

perſ. p. 25. & luculentius de æſt. mar. microc. theſ. IV.) Animus ut in ſe ad morales actus ad leve etiam Objectum, violentas aut turbulentas commotiones inſtituit atq; ſuſcipit: ita ad ejus ideam & turbulentas intentiones etiam vitales actiones, ſi quid ipſis extra ordinem objiciatur, parili turbulentia exagitantur. Brevi: Tota noſtra Sanitas & Vita procedunt ſecundum ipſius animæ conſtitutionem, adeò, ut ſi animus æquabiliter actiones ſuas edat, etiam interna hòc modo contingant, contra verò ſi varijs inquietudinibus agitetur, vexetur, defatigetur, etiam internè variæ fiant exorbitantiæ. Poſſem Sententiæ meæ veritatem centenis alijs illuſtrare, ſi inſtituti ratio id exigeret, & ad alia progredi nunc non juberet. Igitur ultimatim in ipſa mundi primordia mentis oculos converte, & primi hominis creationem ac formationem intuere, quã (*Geneſ. 1.*) deſcribit Vir omni fide humanâ longè ſuperior Moyſes: ex quo textu conſtat, quod DEUS prius Corpus formaverit, & mirô artificiò conſtruxerit, cui deinde ſpiraculum vitæ ſive animam ipſius imaginis divinæ receptaculum inſpiraverit; quô factô Adamus ſimul & vivus & ſentiens fuit.

§. 14. Antequam tamen ad reliqua fiat tranſitus, verbum ſaltem duobus arietibus, quos contra nos producunt diſſentientes, opponam. *Primus* eſt *Melanchtonis: (d. Anima p. 17.)* Contrarij ſunt appetitus rationalis & ſenſualis, videntur igitur & ſubſtantiæ diſtinctæ eſſe, quia in una & eadem ac indiviſibili natura pugnantes appetitiones collocare videtur abſurdum. Sic in Medæa appetitus rationalis ſvadet, ne deſerat patrem, ſed appetitus ſenſitivus contrarium ſvadet, ut amori indulgeat & deſerat patrem. Hinc Ovidius inquit:

D *Sed*

Sed trahit invitam nova vis, aliudq; cupido,
Mens aliter svadet, video meliora, proboque,
Deteriora sequor: (*Magir. Comment. in tr. Melancth. de Anim. p. 41.*) Eidem Sententiæ favet *Doct. Rivinus* (*c. l. §. 12. seqq.*) existimans, functiones corporis nostri non posse præstari ab anima rationali, quia fiunt contra voluntatem rectæ rationis. Concedo, in uno instanti diversi appetitus in una substantia esse nequeunt: Successivè verò atque ita tempore diversô, nego. Deinde oritur hæc contrarietas ab alio atque alio unam eandemq; rem cognoscendi modo, dum nimirum anima diversimodè eandem rem apprehendit, jam ut bonum physicum, jam ut bonum aliquod morale. *Alter* est *Marci Marci â* Krönland (*in Phil. Vet. rest. p. 400.*) nimirum posse corpora aliquô modô vivere absente animâ rationali: Quô concessô sequeretur, adesse adhuc aliud agens vitale in homine. Probat partim Ecstasi, cujus aliquot exempla habet, (*l. c. p. 394.*) partim quia in violentâ morte interemptis post mortem motus observari dicuntur: quod autem motus isti vitales sint, confirmat ex eo, quod ejusmodi corpora sepulta neque res sacræ, neque exorcismi cohibeant, quo minus è sepulchris prodeant: verùm ea duntaxat, quæ residuum vitæ adimant, veluti capite truncato, aut corde perfosso, aut demum Calce vivâ ijsdem corporibus adspersâ. Ut autem tribus me expediam, dico, quod illud ipsum sit τὸ κρινόμενον: annon rationalis anima has operationes efficiat? & annon hæc aliquandiu rationis usum suspendere queat, vitâ superstite, aut etiam post mortem [quando talis per solam motuum ablationem exprimitur] in corpore adhuc delitescere ad tempus, absque ulla etiam ratiocinationis nota? Reliqua argumenta, quibus animam principium motuum nostri

 corporis

corporis esse negant, quia non magni sunt ponderis, brevitati studentes præterimus. Adeas interim *Physs. nov. Sperlette p. 245. & seqq.*

CAPUT III.

De
Primario Actu Animæ & Medio, cujus interventu illum exequitur.

§. 1.

Constat igitur totus Homo Corpore & Anima; Corpus constructum est propter animam, non verò Anima creata propter corpus. Quæ verba ut genuinum sensum Tibi, L. B. pariant, velim respicias primariam intentionem ac scopum, quem ter Opt. Max. Universi hujus Creator in fabricandis hominibus sibi proposuerat. Nimirum Homo conditus ad Gloriam DEI, & propter hunc conditus Mundus, ut Numinis Majestatem ex ipsis operibus eliceret, qui effectus solius est Animæ, & ejus functio primaria & excellentior: pro ultimo tamen hoc fine intermedio corpore opus habebat, ad apprehendendas varias res creatas, apprehensas demum dijudicandas, cujus proin conservationem totis viribus intendit Anima. Paucis his includitur omne illud, quod nunc in seqq. plenius excutiemus.

§. 2. Finis ultimus Animæ atque adeò functio ejus nobilissima est perceptio, & hâc factâ dijudicatio, diversarum rerum ad se invicem comparatio, quam actionem ferè insigniunt appellationibus Mentis, Animi, Ratiocinationis. Cùm igitur finis ejus sit sentire, judicare, hoc autem sine organorum ope fieri nequeat, necesse est, ut eadem mechanicâ & artificiosissimâ organorum corporeorum stru-

ctura, qualem habent Sensoria externa, sit instructa. Nec per hæc commodè fieri poterat perceptio, nisi rebus ipsis admoveretur Corpus, hinc ad motum localem organa certa erant necessaria. Utraque autem structura tùm Sensuum, tùm organorum ad motum suum symbolum conferentium, requirebat non solùm aliarum partium simplicium, ex quarum concursu compages hæc enascitur, debitam constitutionem, sed & quia principijs facilè dissolubilibus constant, & ex dissolutione facta interitum etiam animæ cum corpore cohæsioni minitantibus, ex hac, inquam, causa Craseos suæ exigebant conservationem, quam actionem specialiter Vitam appellat *Excell. D. D. Stahl.* Est igitur hæc Conservatio mixtionis sive Vita primus respectu ultimi istius finis, quia namque in eâdem actionum reliquarum fundamentum consistit, quo ruente corruit quoque & collabitur tota machina, propterea eandem *primò*, non *primariò* intendit Anima.

§. 3. Possemus igitur actiones animæ ad duas referre Classes, ut aliæ sint mentales, rationales; vitales aliæ, quæ corporis spectant conservationem, & dum his præest, vocatur speciali Nomenclaturâ Natura, ut adeòque decantata hactenus Natura, â plurimis ignota, nihil aliud sit, quàm Anima vitaliter agens (*vid. Aut. nostri Diss. d. Αυτοκρ. Nat. procem. & J. Heurn. Op. Tom. 1. p. 11.*) Mentales ad nostram tractationem propriè non spectant, utpote quâ saltem Animæ habitudinem ad corpus vitale seu quoad actus vitales considerare intendimus, atque ita strictè dictam mixtionis Conservationem, quâ ratione scil. eandem præstet, licet & ipsa Ratiocinatio habitudo quædam sit ad corpus, quippe quæ sine eo fieri nequit, non tamen ordinata hæc actio est ad corpus in statu integritatis conservandum: interim quoniam hæ actiones se mutuò respiciunt, ut

vigo-

vigorem rationaliũ ſequatur vitalium vigor & contrà, ideò nõ planè abs re fuerit, de his perpauca ſupremis labris degustare.

§. 4. De ipſa Mente ſive Ratiocinatione tanquam præſtantisſima Animæ functione, ad quam cæteræ omnes ultimatim tendunt, ſcire convenit, quòd ejus Objectum ſint res externæ, quas primò per Senſus apprehendit, factâ ſenſatione judicium de diverſis rebus format. Non poterit igitur Anima judicare ſine prævia ſenſatione, id quod abundè teſtatur læſa Senſoriorum externorum ſtructura, aut functio eorum in ſomno ceſſans, quare tunc Anima in inſomnijs errat, quòd Senſorijs non utitur. Nimirum hæc eſt mens, de nulla re poteſt formari cogitatio ſive idea, niſi per Senſuum organa primò ſimilis ideæ facta fuerit apprehenſio, nihil enim eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Nec obſtat, poſſe ſibi quiſpiam imaginari, quæ nunquam ipſi in ſenſus incurrerunt, ut montes aureos, Pygmæos, Gryphes: Largior in ſenſu compoſito v. gr. nunquam vidit aureum montem, diviſim tamen vidit aurum, vidit etiam montem, atque ita diviſa hæc olim viſa poteſt mens conjungere. Diſſentit Vir quidam Celeberrimus, ratio ejus præcipua eſt, DEUS, Angeli &c ſunt, & novimus exiſtere, nec tamen in ſenſus noſtros incurrunt. Reſpondeo: iſta notitia v. g. de DEO, vel eſt *acquiſita* ex Verbi Divini revelatione, quâ DEUM eſſe piè credimus, atque ita nudus erit aſſenſus ꝗ eſſe DEI, conſequenter verò vel ex lectione vel auditione ſubortus: quod etiam innuit Apoſtolus (*Rom. 10. 17.*) quo modo ſalva eſt noſtra poſitio: vel eſt menti *connata*, qualis eſt notitia de DEO naturalis, Legis cordibus noſtris inſcripta, (*Rom. 2. 1. Cor. 11.*) quales etiam ſunt κοιναὶ ἔννοιαι â Philoſophis vocatæ, denique omnis cognitio, quam Anima ſeparatim â corpore ſpectata

 obti-

obtinet, & ſecundum quam quoque ſui corporis ſtructuram & organizationem abſolvit. Qualem notitiam ſi Cl. Autor intelligat, nobis non eſt contrarius, quippe quæ eſt animæ intrinſeca, nos verò loquuti ſumus de extrinſeca, h. e. ubi Anima corpori unita, quod ſibi eſt extrinſecum, ſive cujus cognitionem non jam tum habet innatam, apprehendit, & quod præcipuè mens noſtra eſt, ſub certa quadam figurâ, ideâ vel ſchemate. Contrarium porrò fovet *Melancth.* (*de Anima p.253.*) non omnem cognitionem in mente humana à ſenſu oriri exiſtimans, ut numeros & alia principia: vulgatum etiam illud axioma: *nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*, niſi dextrè intelligatur, valdè abſurdum eſſe affirmat. Aſſerit *idem*, (*p.255.*) univerſales notitias & dijudicationes non fuiſſe in ſenſu. At quis adeò partium ſtudio eſt excœcatus, ut huic aſſerto aſſenſum præbeat, refragante ſanâ experientiâ, quâ conſtat, intellectum ex ſingularibus demùm colligere univerſalia per inductionem Logicam, ut enim jam tum innuimus res perceptas mens dein poteſt vel abſtrahere vel conjungere, unire &c.

§. 5. Primus igitur actus eſt Senſatio, quæ utique fit per medium, quod præbent ipſa Senſoria, presſius verò ipſi nervi, utpote qui ab Objectis variè percuſſi, moti, vibrati, Animæ ſenſum vel triſtem vel lætum afferunt. (*vid. Excell. Dn. D. Vater Diſp. de Dolor.* §. *6.* qui quidem in eo à nobis diſcrepat, quòd ſpiritibus in nervis contentis hoc officium tribuat, quòd nos ipſi nervorum Subſtantiæ.) Neceſſe igitur eſt, ut nervi ſint tenſi, proin Tonum unicum fundamentum efficaciæ ſenſus verè exiſtimat *Noſter.* (*Diſſ. de Inflamm. ver. pathol.*) Hinc eſt, ut quô magis ſunt tenſi, eò etiam ſint ſenſibiliores, contrà quô magis ſunt relaxati, eò

torpidior quoque obſervetur Senſus, ut in paralyſi. Ex mente igitur *Subtil. Stablij (de mot. hum. ſpaſm. p. 26.)* omnis Senſatio fit per tenſionem organi, ita ut ipſe Senſus in genere nihil aliud ſit, niſi motus tenſivi, quem in nerveis fibrillis præſtat τὸ Movens effectivum, â motu extrinſeco alteratio, in ipſum actum τοῦ Moventis effectivi ita redundans. In genere verò omnia, quæ eosdem titillant, demulcent, ſenſum benignum & gratum efficiunt; acerbum contra & moleſtum omnia, quæ vehementer eos vellicant, premunt &c. Fit autem *præcipuè* perceptio in ipſo Cerebro, ſiquidem nervi ita pulſi usque ad Cerebrum motus continuant, quod ob mollitiem levisſimum etiam motum facilè ſentit: læsô verò quâcunque ratione Cerebrô perit nonnunquam & ſentiendi & ratiocinandi facultas. Mentione Cerebri factâ, incidenter notamus, non abſurdè proximum mentis organon illud ſtatui, quamvis quâ ratione hîc concurrat, nemo fortè mortalium explicuerit. Neſcio enim, an rectæ rationis normæ ac trutinæ reſpondeat eorum ſententia, qui Phantaſiam in antica, in media judicium, memoriam verò in poſtica Cerebri parte locant. *(vid. Wedel. Diſſ. de Memor. debil.)* Mittimus hæc, & potius ſectamur τὸ ὅτι, quàm τὸ διότι, cùm Medico ſufficiat, noſſe hoc ita ſe habere, licet cauſam formalem ignoret. Meretur enim adhuc limam Axioma illud Philoſophicum: *ſcire eſt rem per cauſas cognoſcere:* alioquin enim omnia iſta neſciremus, quarum cauſa nos latet, quorum tamen numerus eſt penè innumerus, effectus eorundem nihilominus luculenter in ſenſus incurrens. Indiget ergò miniſteriô Cerebri in actu rationali Anima, ad cujus probam conſtitutionem ad hunc uſum neceſſariam non parum confert alluvio laudabilis ſanguinis. Contribuere verò plurimum

ratione

ratione ſaltem ſuæ ſubſtantiæ vel mollioris vel compactioris non ſolùm in Senſatione, ſed ratiocinatione, indicat in ſtatu p. n. ejus mollities nimia & compages laxior, veluti diffluens; ſic teſte *Marc. Mapp. (Diſſ. de duob. Offic. in Cerebro repert. p. 20.)* Subſtantia Cerebri admodum flaccida mente captis utplurimum familiaris eſſe ſolet, ſicut eam non ſolùm haut rarò in Maniacis deprehendit, verùm etiam Kerkringius in adoleſcente, qui ætatem inter rationis ſtultitiæque confinia traduxerat, poſt mortem invenit. Num autem Cerebrum ſiccum memoriam reddat firmam, prout vult *Scholz. (in Conſil. Med. pag. 7.)* non auſim determinare, cùm vulgatam opinionem redolere videatur, ac ſi ideæ Cerebro impreſſæ ibidem veſtigia poſt ſe fixiora relinquant. *(vid. Ill. Wedel. de memor. debil p. 5.)*

§. 6. Hanc primam Senſationem per Senſoria externa factam excipit Dijudicatio; nudus namque organorum attactus (*loquor cum Exc. Vatero c. l. §. 3.*) aut motus Spirituum in ijs rectiſſimè licet conſtitutis, Senſationem nullam & perfectam abſolvunt, niſi res ipſa, cujus motus Senſorium externum afficiebat, ſimul percipiatur & judicetur, quod certè ſolius mentis eſt. Eſt hæc Dijudicatio nihil aliud, quàm unius rei cum alia comparatio. Quando enim anima de re quapiam judicat, eandem cum alia atque alia confert, utrum bonum, an malum hoc ſit, utrum gratum, conducibile, an contra moleſtum, noxium & ſic porrò. Conſenſum præbet *Fracaſt. (Op. p. 391.)* nihil aliud eſt, *inquiens*, imaginari, quàm plura ut plura recipere & comparare ad id, in quo conjuncta ſunt, & videre qualiter unumquodque ſeſe in illo habeat. Et dignus Hygieiæ Antiſtes, ad Artis adyta aditum felici ſucceſſu pandens, *Excell. Eyſelius*, Præceptor & Patronus multis nominibus colendus

(in

(*in Compend. Phyſiol. pag. 44.* qui liber meritò omnium Tyronum teratur manibus) fieri eandem dicit, quando anima conceptas ideas ſimplices multipliciter componit & dividit. Eſt hæc actio, ſi probè rem perpendimus â priori quoad modum fiendi planè non diſtincta, audeo enim annuere, eſſe omnes illas actiones animæ cognoſcentis, intelligentis, unum ſimplicem & undiquaque ſibi conformem & uniformem motum: differre autem judicium à priori apprehenſione, ut actus compoſitus â ſimplici, judicioſus enim plerumque is eſt, qui multarum rerum notitiâ accuratâ, non confusâ, & experientiâ multiplici claret, hic quippe cum plurimis rebus inſtituit collationem, & apprehensâ hâc re apprehendit & aliam vel aliam, ſub ſpecie boni vel mali olim æſtimatam, quæ ſi ſimul eandem pariat Senſationem, talis quoque ac altera judicatur, minus verò, ſi diſparem ſenſationem producens longius ab eadem recedat. Imò nec Memoria functio quædam eſt, quæ peculiari & diverſo apparatu fit, ſed ſola cognitionis & intellectionis reiteratio. Mihi namque nullum planè fundamentum habere videtur diſtinctio inter *memoriam & reminiſcentiam*, illa ſiquidem absque hac nunquam fieri attentius hæc obſervanti patebit. Verùm amittitur interdum memoria remanente judicio & apprehenſione, [*Melanchth c. l. pag. 212.*] ergò diſcreta eſſe concludes. Ne in hoc dubio reſolvendo ſimus prolixi, ejusdem reſolutionem in ipſo conflictu nos daturos ſpondemus. Jungatur interim huic Melanchthonis locus *Galeni lib. 3. de loc. affect.* (*cit. Exc. D. D. Hoffmann. de αὐτοχειρία pag. 10*) læsâ imaginatione, ratiocinatione, memoria quoque læditur. Velim quoque notetur & illud, utplurimum creſcente judiciô decreſcere memoriam, memoriâ verò ſingulari pollentibus judicium

non adeò vigere, rursus adstipulante *Excell. Eyselio* (*loc. supr. alleg.*) Dico *utplurimum*, cùm noverim etiam Viros & judicij & memoriæ excellentiâ insignes.

§. 7. Modum itaque, quem sequitur anima in cognitione, si æquâ mentis lance pondero, consensum utique mereri videtur *Helmontius*, illud desidum nunquam satis laudatum flagellum vel suscitabulum (*secundum B. Ludovici Pharmac. in præf.*) qui omnem perfectam & accuratam cognitionem â solo intellectu proficisci debere existimat, qualis in statu innocentiæ fuerit Adamo, quamobrem [*Venat. Scient. n. 1.*] ita fatur: *Mens nostra debet esse intellectualis, non autem rationalis, si DEI simulacbrum proximum referre debeat: & (num. 53. l. c.) intellectualis cognitio est omnis erroris expers.* Idem: [*c. l. num. 11*] *Ratio nobis relicta menti advenit, tanquam stigma â tortore, in calamitatum casusq; nostri memoriam: & est scientia boni & mali, esu pomi acquisita, ipsissima Ratio, tantoperè à mortalibus adorata.* Et paulò antè: (*num. 10.*) *Mens post mortem habitura est omnem suam cognitionem simul, plenam, nudam, non successivam, non vi præmissarum extortam, non expugnatam, non fallacem, disputabilem aut dubiam.* Quicquid autem horum sit, mihi ne ultra scopum præfixum prolabar, hæc saltem innuisse sufficit; proin libero uniuscujusque hæc committo judicio.

§. 8. Addendum tamen & hoc erit, utpote in Praxi Medicâ non planè sterile, nimirum Animam vinculo corporis interdum paulò liberatam & relaxatam plura sibi alioquin impervia novisse, docentibus id delirantium, Ecstaticorum, agonizantium exemplis. Nam (*juxta Helmont. Confess. Aut. num. 5.*) qui nunc unâ cum carne sumus, per eandem â vero lucidoque intellectu abstrahimur. Sic nar-

ravit

ravit mihi *Exper. D.D.Jucb*, Patronus ævum colendus, exemplum fœminæ febre ardente decumbentis cum deliriô, quæ adventum sui Medici optimè prædicebat, quamvis is à nemine adhuc domesticorum fuerat visus. Superiorem influentiam suam adjungere personam, dùm delirantes acutissimè sæpè (id quod miraculis accedit) ratiocinantur, existimat *Celeb.Hoffmann.*[*l.c.pag.11.*] De admiranda Ecstaticorum ingenij vi, si vacaret Scriptorum monumenta evolvere, vereor, ne exemplorum copiâ obruar. In testimonium saltem adducam, quod paucis abhinc annis hîc Erffurti contigit, spectantibus id cum stupore plurimis, fide dignis, etiamnum superstitibus: nimirum puella vilioris sortis viso quodam Spectro vehementer perterrita patitur Ecstasin, quâ detenta mira de glorioso beatorum statu prædixit, hymnos composuit perelegantes, quæ tamen neque legendi neque scribendi notitiam habuit: Idem ferè observatum fuit in Virgine stemmatis nobilitate clarâ, hystericis vexatâ pathematibus: id quod quidem ex sublimiori causarum fonte deducendum esse reor, accedere tamen simul habitudinem quandam physicam, ex eo palàm est, quòd corpus in tali casu langveat, & periculosè ægrotet. Nec prorsus extra Physices pomœria extrudendum, & ad incantamenta penitus referendum esse videtur, quod de Lapponibus memoriæ proditum est: hi quippe jussi enarrare, quæ in diversorum Principum aulis geruntur, illicò Ecstatici in terram procidunt, expergefacti demum ad ungvem hæc recitant. Referunt autem Autores, quod circumstantes omni sollicitudine præcaveant, ne sopor illis excutiatur, priusquam anima ipsis redierit, alioquin enim irrevocabilis vita est. (*vid.Oriental*ischer Kirchen-Staat. *pag.123.*) Per morbum ingenij vim ac præstantiam ultra ætatis sor-

tem evectam *Pechlinus* notat (*obs. 2. lib. 3. pag. 395. & obs. 4. pag. 398.*) quod Clar. Autor ab anima sese jamjam efferente secessumque minitante, atque à corporis obsequio ac legibus se exsolvente, magisque sui juris existente deducit. (*citante Sperlingio Diss. de delirio febb. contin. cap. II.*) Hinc etiam est, quòd non adeò bonum habeatur signum, si ægrotantes anteacta, quæ dudum oblivioni tradiderunt, in memoriam sibi revocant. Assentit *Hagendorn.* (*hist. 90. Cent. III.*) Imò quandoque pluribus ante mortem diebus non tantùm diem obitus sui, sed & horam præcisè definiunt. Quale exemplum narrat & in alijs quoque se observasse dicit Daniæ quondam fulgentissimum Sidus, πάνσοφος ille *Borrichius* (*in Act. Hafn. Vol III obs 34.*)

§. 9. Hæc de Objectorum extra corpus nostrum constitutorum consideratione, quomodo in nostram cognitionem veniant, dicta sunto, nostro nunc proposito magis inservit, si intrinsecè in corpore non minus Sensationem hanc vigere notemus. Cùm enim Anima ritè constituto corpore demum ad finem suum ultimum perveniat, cujus fundamentum est actus machinæ corporeæ conservatorius, ideòque omninò internorum naturam ac indolem probè persentiscere & dignoscere debet. Unicus est iste sentiendi modus per Tactum, qui quoniam ad ipsam conservationem corporis spectat, longè est subtilior, acutior, nobilior cæteris sensibus, qui circa moralia saltem, hoc est circa res indifferenter sese ad corpus habentes versantur. Eam ob causam undique in toto corpore nervos & filamenta sive propagines eorum videbis disseminatos. Nō veniunt autem hæc Objecta interna in imaginationem, quia sensibus externis ad eam nō deferuntur, nec etiam ratiocinatur de ijsdem anima, quia sine comparatione & in

con-

continenti novit,quid utile,quid noxiũ corpori ſit,propterea ipsô perceptionis momentó , ſi noxium quid adeſſe deprehendat,contra illud agit.Optimè in rem loquitur *Hallenſe Oraculum:* Actus rationalis pro Objecto habet rerum extra corpus noſtrum oberrantium qualitates crasſioribus externis ſenſibus obvias:Quis igitur ab Anima juſtè requirat,ut de illis quoque rebus,quæ intus in ejus domicilio ſive corpore ſunt,ratiocinetur, cûm illas his ſenſibus apprehendere non posſit. *His ſubjungit:* Cùm enim intellectus ſemper ſenſum ſequatur,voluntas verò intellectum:motus verò voluntatem : propterea in tenerrimis ſenſationibus longô conſilió & ratiocinijs Syllogiſticis opus non eſt,quin rectè & ordine Senſus percepti conditioni mox congruus Motus adhibeatur. [*vid. Prop. Inaug. ann. Diſſ. de Inflammat. ex quô plurima huc trahi poſſunt*] Ob eandem cauſam non ſine ſumma prudentia inſignes nervorum ramos provida Natura in ſuperiori ventriculi orificio conſtituit, ut ſtatim in ipſo limine de aſſumptorum qualitatibus judicium ferat ; eſſe autem ſenſum hunc interiorem ſæpius nobiliorem externo,patet ex eo , quod interdum aſſumamus alimenta palato valdè grata, quæ tamen paulò poſt ventriculus,ut corpori noxia,vomitu rejicit.

§. 10. Cùm itaque optimè interiora ſui corporis cognoſcat anima , quod nobis præmittendum erat , ſi dein conſervationem ejusdem corporis ipſi asſignare velimus, conſideraverimus etiam principalem Animæ actum & medium , ſive Senſoria,per quæ finem ſuum adipiſcitur, propius nunc noſtro ſcopo accedimus conſiderando , quô ordine Conſervatio & reſtauratio fiat , quæ actio propriè Vita dicitur. Ipſum ſtruendi modum hôc loco non attingemus,cùm generationis negotium adhuc paulò ſit abſtru-

 ſius,

ſius , nec tamen ſolidi quid ad ipſam Therapiam hujus cognitio contribuat, quod tamen maximè hæc noſtra conſideratio ſpondet, ceu in qua univerſa Praxis Medica fundatur.

CAPUT IV.

Quomodo Anima ſeſe habeat ad Corporis Conſervationem, ſive Artificium & Modum hujus Conſervationis ſiſtit.

§. I.

CORpus tripliciter conſiderari meretur, ut *mixtum* ſcilicet, *ſtructum* & *vitale*, quod diligenter inculcat *Noſter* (*de infrequ. morb. perſ.*) *Mixtum* dicitur, quatenus ex diverſis particulis ſimplicioribus ſibi invicem cohærentibus eſt conflatum: *Structum*, quia in certa organa ſunt redactæ: *Vitale*, quatenus tâm mixtio quàm ſtructura per notabile temporis ſpatium perdurat & perennat. Ex mixtione ſtructura corporis formata eſt: Structura verò per ſenſum ad intellectus, per motum ad voluntatis actus deſtinata eſt: quâ mixtione dilabente tanquam fundamentô ſubrutô omnes reliqui actus, Senſus, Motus, Intellectus & Voluntatis exercitium eô ipsô evertuntur. Ex hoc diluceſcit, quantum ipſius animæ rationalis interſit, ut mîxtio corporis conſervetur, qui actus propriè eſt vitalis (*de Inflamm. in proœm.*) *Vita* igitur eſt mixtionis eſt ſtructuræ conſervatio, quæ duæ non tám facilè læduntur, facilius quidem ex cauſis vehementibus externis. Quia autem nunquam ferè læduntur, niſi alteratô ſimul vitali negotiô, â quo ipſæ dependent, itaque hoc primariò Medicus reſpiciat, imprimis cùm læſam mixtionem & ſtructuram corrigere nequeat, niſi ope vitalibus motibus latâ. Igitur & nos mentis oculos huc jam flectemus.

§. 2.

§. 2. Sermo, ut jam tùm monuimus, nobis hac vice non est, quâ ratione Anima corpus ſtruat & organizet, ſed quomodo corpus jam ſtructum ſervet, & â plurimis noxis præſervet. Corpus compoſitum eſt ex muco, pingvedine, aqua, terra, quæ particulæ infidô connubiô junguntur, ceu quarum compages facillimô negotiô præſertim concurrentibus alijs cauſis externis occaſionalibus, aëre, calore, humiditate, relaxatur & diſſolvitur. Novimus â priori, quàm ex ſe & ſua natura corpus noſtrum in corruptiones ſit proniſſimum, ſi modò materiam, ex qua illud ſuſtentamus intueamur. Singulis diebus, horis tot ac tam varia alimentorum facilè corruptibilium genera, nunquam quoad craſin ſibi correſpondentia ingurgitamus & ſtomacho obtrudimus. Si itaque ex tali materia corpus alitur, neceſſariò easdem cum ea habebit qualitates, præſertim cum aſſumpta talem nanciſcantur fomam, quæ longè citius corruptionis & prutredinis fomitem ſuſcipere idonea eſt, reſoluta nempe in liquorem lacti haut abſimilem. Innoteſcit porrò ex poſteriori ſeu effectu, ſiquidem corpus vitâ defunctum brevi temporis ſpatiô actuali putredine inficitur, & verminoſæ progeniei locus genitalis & pabulum evadit. Cùm igitur corporis partes tàm ſolidæ, quàm fluidæ ſibi relictæ promptè fermentationis putredinoſæ legibus obſequantur, mirandum omninò eſt, (*teſte Stahlio de infr. morb. perſ. in procem.*) quod corpus animale è mixtione corruptibili conſtans inter media organa corruptionis, aërem, humiditatem, calorem diutisſimè conſervetur, id quod Doct. Aut. (*c. l.*) egregiè demonſtrat. Concludimus ergò, quodcunque corpus à tali actuali corruptione præſervat, proprijsſimè Vita eſt, edocente me ita jamjam laud. A. (*in procem. Diſſ. de Inflamm.*) Summè corruptibilis

lis res est animalis mixtio, *inquiente*, ideoque indiget conservatione, quæ est Vita. Quod accuratius inspicere, cùm utilitatem spondeat insignem, nos hâc vice pro viribus lustrare tentabimus. A nullo hactenus, ut verum fatear, hoc negotium dignè fuit evolutum, præterquam ab indefessô Studij Medici Promotore Doct. Stahlio, utpote qui nullam Medicinæ partem relinquit incultam; quem proin hîc undique pressô pede sequi haut erubesco.

§. 3. Absolvitur id præcipuè Motu humorum circumpulsoriô ab intra extrorsum, & ab extra rursus introrsum: quod cum pro more suo, h. e. perdoctè *Noster* A. enucleaverit in varijs Dissert. (ex quibus præprimis ad hunc finem tibi habeas commendatissimas *Diss. de Æstu Mar. Microc. de Mechan. mot. Sangv. progress. de* Αυτοκρατεια *Nat*) ideò ne simus præter necessitatem prolixiores, summaria saltem delibabimus. Omnes partes solidæ & organicæ suam mixtionem, temperiem, Crasin debent fluidis influis, hinc maximè totius rei cardo vertitur in eo, ut his Natura prospiciat, quod fit motu humorum & præcipuè sangvinis progressivô, qui absolvitur duplici impulsu, altero interiore, Systole Cordis, altero exteriore, Tono partium porosarum. Internô hoc motu universali & æquabili sanguinis omnibus partibus æquabiliter nutrimentum distribuitur, atque adeò id quod deperditum est de partium substantia continuò restauratur. Quoniam enim ex varijs causis, ex parte jamjam nominandis, imò nonnunquam solis corporis commotionibus laxior substantia diffluit, habitu sic decrescente, metus est, ne ita successivè totius consumptio insequatur, quod ut impediatur, continuâ particularum abscedentium restauratione opus est, alioquin exaresceret penitus; Simili modo ac planta è terra avulsa marcesce-

re

re incipit, ubi ſuccô iſtô roridô non de novo quotidie imbuitur & imprægnatur. Fit hæc nova appoſitio & agglutinatio mediante ſangvinis appulſu. Sangvis enim eſt iſte liquor, qui tanquam promus condus ex ſinu ſuo & latifundio ceu ex penu omnibus partibus alimenta deprômit. Nec mireris, ex ſolo ſangvine, & imprimis ex parte ejus gelatinoſo-lymphatica, quæ tincturâ & larvâ veluti rubicundi ſangvinis occultatur, tàm diverſas partes & diverſisſimas partium particulas nutriri. Quare enim unica hæc materia non ſufficeret ad tàm varias partes nutriendas, cùm videamus, obſervante id *Helmont.* & ex eo *Ill. Boyl. in Chym. Scept.* aquam ſimplicem in acetoſella aceſcere, in abſynthio autem amareſcere, in naſturtio in acrem humorem verti, in liquiritia dulceſcere, & in alijs vegetabilibus aliam naturam induere, imò eandem materiam in eodem vegetabili in folia, ligna, cortices, radicem commutari. Quia verò tali modo etiam ſangvis tandem decreſceret, dum quotidie quasdam particulas ex ſinu ſuo dimittit, neceſſe eſt, ut & in horum locum de novo aliæ denuò ſuccedant, niſi demum ipſa Nutritio temporis ſucceſſu deficere debeat. Indigemus eam ob cauſam alimentorum aſſumptione, quæ dictitante appetitu aſſumimus.

§. 4. Largitur idem vitalis liquor ſuo circuitu toti corpori calorem, quod ex variis phænomenis pateſcit, ita ſangvine verſus interiora congeſto, & ex exterioribus expreſſo, e. g. in terrore, febb., imprimis intermîttentibus externa frigent & horrore concutiuntur; corporis verò exercitiis intenſis, intenditur ſimul hæc humorum agitatio, & totum incaleſcit corpus. Tertiò hoc ipſo impulſu & appulſu ſangvinis variæ corruptelæ in partibus ſolidis mollioribus hærentes abſterguntur. Dum enim diverſimodè in his

par-

partibus labes quædam oboriri posſit,ſangvis earum poros pertranſiens non poteſt non omnis generis corruptelas ſive ſint de genere Salium,mucaginum, pingvedinum ſive alius, ſecum vel abripere,vel attenuare, infringere,atque ita materiam ad excretionem diſpoſitam eliminare. Apprimè autem hic motus ſangvinis ad ſui ipſius naturalem & laudabilem conſtitutionem ſuſtentandam conducit, dum, circumpulſorio hoc motu continuò & jugiter per poros partium muſculoſarum & parenchymaticarum non ſolùm transmittitur, & per illos tanquam per filtra trajicitur atque transcolatur, quo ipſo in minutiores partes diſcerpitur,& in fluxilitate ſua conſervatur, Staſes præcaventur,& putredo arcetur; ſed etiam ad varia Excretoria impellitur, ut in ſingulis quasdam portiones deponat,ſubſtantiam ſcil. Salinam in renibus, in hepate oleaginoſam, pingvem, in partibus glanduloſis oris, narium, inteſtinorum materiam mucoſam, in corporis peripheria aqueô-halituoſam. *(vid. Diſſ. de Æſt. Mar. Microc. de Inflamm. ver. pathol p. 9. de mot. hum. ſpaſm. cap. 1. pag. 6.)* Conſultò autem in prædictis partibus quædam moleculæ ſecernuntur & excernuntur, quoniam ſub ipſo hoc motu non poſſunt non quædam portiunculæ ſubtiliores fieri ac tenuiores, activiores, & dein fermenti naturam induere, quod totam maſſam ex centro Craſeos diſturbet; id quod etiam nonnunquam ita evenit, retentis ſcilicet excernendis.

§. 2 Hi ſunt effectus motus ſive impulſus interni, qui etiam plurimùm adjuvantur motu partium externarum Tonico, qui imprimis ſangvinem ab extra introrſum repellit. Quamdiu itaque hi motus vigent & rectè ſeſe habent, tam diu Vita & Sanitas recto tramite procedunt, corpusque valet: quamprimùm verò turbatur vel ipſum Movens,

vel

vel vitiantur humores & viæ, eô ipsô momento fiunt variæ in corpore læsiones. Uti enim Sanitas & Morbus sibi invicem opponuntur, ita si Sanitas in motibus his ritè constitutis consistat, omninò Morbi formalis ratio in ipsa Motuum læsione erit quærenda. Cùm verò meminerim Motus Tonici, is verò nondum omnibus sit perspectus, palmaria saltem ejus ex nostro Aut. proponam. Hic Tonus nihil aliud est, quàm proportionata tensio fibrarum partium mollium solidarum, siquidem totum corpus ex innumerabilibus & tenuissimis fibrillis sive fibrarum filamentis conflatum atque contextum est, quæ proportionatè tensæ sunt, ne scilicet sangvis appulsus in nimiam molem ipsam partis substantiam extendat; hinc ubi hæ fibræ laxantur, pars quandoque nimium intumescit, tale quid contingit naturaliter tempore somni, (*de Æst. Mar. Micr. thes. 2.*) p. n. in morbis paralyticis, variisque tumorum generibus: & consistit in hac tensione corporis robur, adeò ut hoc tono remisso, vires frangantur & torpor occupet artus. Deinde hôc ipsô Tonô sangvis retroprimitur & urgetur in vasa venosa: quod in statu naturali quidem oculis non ita manifestum est, attamen in variis animi affectibus, terrore, metu &c. optimè cognosci potest, ubi nimirum habitus pallescit, strictior evadit, angustioribus redditis ipsis vasis sangvineis cutim perreptantibus, præprimis autem frigus talem alterationem inducere aptum est. Manifestat eundem hunc motum horripilatio in febb. etiam familiaris, ex quâ stricturâ peripheriæ corporis sangvis ad interiora reprimitur: stricturâ verò remittente, repellitur rursus ad exteriora. Probatur porrò hic effectus motus Tonici vulgari experimentô in venæ sectione, jubetur ibi patiens brachium tendere, manum in pugnum firmiter colligere,

 quó

quò ipsò Tonus ulterius intenditur, venâ ſectâ, quotiescunque manus citò aperitur & recluditur, eodem impulſu ipſe ſangvis è vena prodiens ad ſaltum impellitur. In motibus corporis aut muſculorum nimiis ſequitur tempeſtivè congeſtio major circa interiora ſub diaphragmate, circa pulmones, ut anhelitus & pulſus increbeſcat ad elidendam copioſam illam congeſtionem, imò Sudor mox ſubjungitur. (*de Æſt. Mar. Microc. theſ. 1. de Mot. Ton. vit. de mot. hum. ſpaſm. cap. 1. pag. 6.*) Imò talis Tonus non ſolùm eſt in partibus externis, ſed internis quoque, Viſceribus ſcilicet; in quibus idem munus præſtat, & ſecretionem plurimorum humorum abſolvit. Invenio hac de re egregium locum apud ſolidæ eruditionis δοκιμαςήν, Geranæ noſtræ Gemmam, *Excell. Dn. Præſidem*, Præceptorem ac Patronum meum ad cineres usque colendum: (*in Diſſ. de Mictu Cruento theſ. 1.*) Sangvinis per renum tubulos trajectionem, *inquit is*, urinæque de illo ſequeſtrationem haud parum juvare videntur fibræ renum motrices, quæ ſeſe conſtringendo tam ſerum urinoſum ad pelvim & urinarias vias, quàm ſangvinem ad venoſa vaſa amandant & demittunt.

§. 6. Ipſam autem Tenſionem non ſolùm efficit Anima, ſed & eandem pro rei exigentia alterat, non tam frequenter ex cauſa quadam materiali phyſica, quàm morali ſaltem, id quod in animi affectibus contingit, ex quo Animæ habitudo ad alterandum motum tonicum, & per hunc dirigendos motus humorum, conſequenter verò habitudo ejus ad conſervationem corporis ſui eluceſcit. Cui verò dicta noſtra tùm de exiſtentia Motus Tonici, tùm de ejus efficiente cauſa Anima minus ſufficiunt, is evolvere dignetur præter ſupra allegata Dn. Aut. Scripta Ejus Diſſ. Epiſt. de Mot. Ton. vit. ubi obſervationibus planè ſingularibus evidentiã hujus motus, & cauſæ efficientis veritatem, animamq; motum ſangvinis

nis moderari ex motibus activis particularibus demonstrat, quibus portio sangvinis ad unam partem præ aliis fertur extra proportionem vasorum eò tendentium.

CAPUT V.

De
Animæ Habitudine ad Læsiones activa.

§. 1.

ANima uti corpus nostrum in statu integritatis modô jam propositô conservat, ita ab eodem varias noxas avertit, imminentibus & futuris materiam detrahendo, præsentes averruncando, machinam ab interitu vindicat. Explicatis itaque jam iis motibus, queis Anima corporis mixtionem naturalem conservare nititur, progrediendum nunc erit ad eos, quibus id, quod p. n. est, & labem aliquam corpori quocunque modô affricare potest, amolitur.

§. 2. Considerandæ igitur veniunt causæ læsionem inferentes, dein harum consequentia, seu læsiones ipsæ, aut Morbi, tertiò ipsa Naturæ molimina, quæ ut plurimum pro consectariis & effectu materiæ morbificæ falsò habentur, non sine maximo in ipsa Therapia errore & damno.

§. 3. Quod causas concernit, â consideratione hac paulum secludemus violentiores externas, internas solùm seu habitudinem corporis ad varias læsiones intrinsecam sub inquisitionis incudem revocaturi, utpote omnium frequentissimas, ubi primariò nobis respiciendum erit in ipsos humores, ceu qui non solùm præ partibus solidis citius vitium aliquod concipere possunt, sed & quoniam solidiores omnem suam temperiem his debent. Læsionibus igitur, si ab origine rem deducere velimus, communissimè & universaliter ferè ansam præbet Plethora seu

 san-

ſangvinis & humorum abundantia: poſſe autem ſangvinem omninò abundare,& non raro,ſed frequentiſſimè, & dein inutilis corpori evadere, abundè probat contra diſſentientes Doctiſſimus Stahlius.(*d. Ven. Sect. uſu & abuſu*) Cùm enim homines quotidie plus ingerant cibi,quàm vel appetitus dictitat, vel natura paucis contenta exigit, benè etiam eosdem digerant, non poteſt non ſangvis in copia produci, quæ dum neque in nutritione omnis abſumitur, neque motibus & exercitiis imminuitur, tandem corpori moleſta exiſtit. Quamvis enim plethora per ſe nullum adeò damnum corpori animali afferat, attamen quia tanta humorum maſſa circulari & moveri tam promptè nequit, nec tantâ agilitate per Colatoria propelli poteſt, in qua propulſione tamen fluxilitatis ejus fundamentum conſiſtit, ſucceſſivè lentius progredi incipit, denique verò craſſeſcit & ſpiſſeſcit. Hinc læſiones, quæ ferè immediatè eam inſequntur, ſunt ſequentes: Oboritur in talibus ſubjectis ſenſus oppletivus, ſtagnatio ſangvinis in vaſis majoribus, circa præcordia, in vena portæ; ſuccedit totius corporis laſſitudo, ſuffocationis metus, capitis dolor gravativus, aurium tinnitus, hypochondriorum inflationes. Sangvine tandem ita ſtagnante fiunt humorum metaſtaſes; eodem in ſerum vappeſcente, hinc Catarrhi, Hydropes, Tumores œdematoſi, apoſtemata, ulcera. Extremum verò gradum ſeu durantem & plenariam ſtagnationem ſeu ſubſiſtentiam excipit actualis putredo, niſi hujus præcautioni attentè invigilet Anima, motibusque congruis eam antevertat.

§. 4. Sunt hi effectus plethoræ, qui ne in corpus actu redundent, in hominibus vegetis, dùm in herba adhuc ſunt, præfocantur, Naturâ tempeſtivè fomitem removente

movente. Ordinaria hîc Naturæ via eſt, per puras ſangvinis excretiones ſeu hæmorrhagias aliquid ejus copiæ detrahere, quæ pro diverſitate ætatum excretionis locô differunt, adeò ut in pueritia magis ex naribus, circa pubertatem ex ore per hæmoptyſin, in ſexu ſequiore per menſtruas evacuationes è genitalibus: in ætate conſiſtente ex hæmorrhoidibus internis, circa ſenectutis confinia ex externis, (cui utrique hæmorrhoidali fluxui affinis eſt ipſe Mictus cruentus, vid. *Magnif. Meibom. diſſ. d. Vomitu p. 22. & Henr. ab Heer obſ. 20.*) ordine Naturæ congruo ſangvis erumpat & profluat. (*vid. diſſ. d. Podagr. in proœm. p. 3. it. de Αὐτοκρατείας naturæ cap. II.*) Contingit autem hoc ſangvinis profluvium eò promptius, ſi cum naturæ vigore etiam ipſum corpus ſufficienter & debitè eſt prædiſpoſitum, quoad texturam partium vel rariorem vel denſiorem, ipſorumque humorum vel tenuitatem vel ſpiſſeſcentiam: quare ut plurimum tales ſangvinis ſpontaneas evacuationes experiuntur ii, qui temperamentô gaudent Cholericô vel ſangvineô, vel etiam mixtô, non tàm promptè verò purè melancholicæ & phlegmaticæ conſtitutionis, utpote qui frequentiùs affectibus ſtaticis infeſtantur: cæteris quidem paribus.

§. 5. Quando verò ad ſinceram excretionem hæc molimina non pertingunt, quod ex variis cauſis fieri poteſt, fiunt quidem congeſtiones circa hæc loca, unde ſtaſes primò humorum particulares in certis locis, demum autem natura intentioni inſiſtit excitando in iisdem locis motus Tonico-Spasmodicos, ſeu incompletos fibrillares ſpasmos ad molimen hoc excretorium ſpectantes, quorum ſoboles, dolores gravativi, preſſorii, rigidi, frigidi, ſtupidi aut vellicatorii, palpitatorii, vibrativi, formicatorii &c.

Inde

Inde est, quod etiam stases & Spasmi pari & jugi ratione deinde occupent illa loca, quandoquidem non sunt, nisi consectaria hæmorrhagiæ, uti hæc plethoræ in proxima potentia nocendi constitutæ, nempè intestinè commotæ. (*vid. prop. Inaug. d. pathol. Salſ. ann. diſſ. d. bonæ Nutricis requisitis, it. procem. diſſ. d. podagr. &c.*) Hinc in prima juventute, ubi corpora magis sunt serosa, lymphaticæ substantiæ circa caput stases & ulcerationes (*d. Podagr. in procem. p. 3.*) crusta lactea, favus, achores: in pueritia molimina sangvinis per nares erupturi, nec tamen erumpentis sunt Cephalalgiæ, Hemicraniæ, Otalgiæ, Ophthalmiæ, Odontalgiæ &c. per os & fauces exitum quærentis nec invenientis, Pleuritides, Peripnevmoniæ, Anginæ, Phthises, arthritis scapularis & humeralis, Tusses, qui morbi juvenibus familiares: hæmorrhoidum internarum & externarum Asthmata Convulsiva, malum hypochondriacum, Dolores Colici, Nephritici, Ischiadici, Podagrici, Calculus, venarum intumescentiæ Varicodes. Uti autem omnis ordo sæpè invertitur, ita & hic quandoque immutatur, cujus rei causa est vel inordinatum vitæ genus, naturæ motuum per inconvenientem medicamentorum administrationem suppressio, vel denique ipsa Consvetudo, ita ut si certæ excretioni per longum tempus assvefacta fuerit natura ætate juniore, eandem annis succedentibus atque ita ætate adultiore repetat.

§. 6. Si verò nec hic motus Agenti nostro arrideat, pro ipsorum subjectorum varietate, tunc tertius adhuc restat, universalis scil. humorum commotio consumptoria, qualis in Febribus est observabilis: hoc enim modo particulæ magis â se invicem divelluntur & attenuantur, quando nimirum eôdem temporis spatiô pluries per poros viscerum

ſcerum trajiciuntur, aut ſi jam quædam particulæ â reliqua maſſa humorum ſeceſſerint, atque ita â conſortio horum liberatæ facilè fermenteſcere incipiant, eôdem hoc motu ſecretio & eliminatio prædictarum particularum acceleratur. Cùm enim ex Cap. præced. notorium ſit, actum iſtum mixtionis conſervatorium inſtrumentaliter eſſe motum ſangvinis, & humorum cum eo circumcurrentium, conforme profectò eſt rationi, ut ubicunque mixtioni magnum diſcrimen imminet, iidem hi motus intendantur. (*d. inflamm. ver. pathol. in prooem.*) Et ſanê ſi ullibi Animæ activitas in laudabilem finem ſeſe prodat & manifeſtet, id ipſum in Febribus contingit, his enim revera ingraveſcens noxa, corpori interitum certiſſimè minitans præſcinditur & averruncatur. Veriſſimum namque eſt effatum *Noſtri*: Si actualis effectus cauſæ continentis febrilis exſpectaretur, Viſcerum Sphacelus in malignis, eorundem Apoſtemata in benignioribus acutis: ulcerationes aut pertinacisſimæ Scirrhoſæ oppilationes eorundem in intermittentibus exſpectarentur(*d. Αὐτοκρ. Nat. cap. 1.*) Contra verò patet, ſi placidè & tranquillè ipſis decurſus concedatur, neque vulgari & perversâ medicatione tractentur, quod rarius trucident, ipſæ quoque malignæ. Cùm enim in genere in Febribus aliquid vel ipſis partibus vitalibus ſolidis, vel fluidis ſeu humoribus inhæreat, quod pro ſua energia & activitate, vel citò vel tardius, minatur ruinam, hinc vel citò vel lentè magis, & ê longinquo quaſi, illud temperare, corrigere, ſegregare molitur Anima, idque peragit per eadem organa, in ſtatu naturali eidem ſcopo, depurationi humorum inſervientia, auctis ſaltem proportionaliter motibus. Quoniam au-

tem

tem motus localis & Tonicus eſt ille modus, quo temperies humorum conſervatur, propterea obſervamus formalem febrium omnium ferè ratîonem conſiſtere in motu ſangvinis locali & tonico alterato. Hoc ipſo enim aucto materia iſta febrilis, ſive ſit naturæ craſſioris, mucido-viſcidæ, & inhæreat ſangvini, attenuatur magis propreſſione iſtâ per poros partium & Colatoriorum auctâ, ut facilius dein in iisdem ſecerni & excerni poſſit; ſive ſit valdè ſubtilis ſub forma halitus, aut de natura Salium, & tunc idem motus neceſſarius eſt, quamvis ſi hæc inſtantaneæ efficaciæ ſit, ut in malignis nonnullis, & in ipſa peſte, omnes conatus fruſtraneos & irritos videns â motibus planè deſiſtit, territa & trepidabunda, hinc virium proſtratio momentanea ex toni remiſſione, pulſus langvidus, debilis, deliria &c. ſive hæreat in viſcere quodam vitali, tunc utique hoc ſangvinis appulſu emollitur & ſufficienti humiditatis copia diluitur, vel aufertur, abraditur, & qua data porta ejicitur. Prout materiam hanc confusè â plurimis traditam doctè enucleavit paſſim in ſuis ſcriptis Cedro digniſſimis genuinus Naturæ Myſta Dn. D: Stahl.

§ 7. Fuêre itaque jam præcipuæ læſiones recenſitæ, quibus ferè nunquam non bonum aliquod molimen junctum eſt, præprimis verò hæmorrhagiis & febribus, qui affectus peſſimè pro effectu cauſæ morbificæ habiti ſunt. Ut autem Naturæ ſalutaris energia fiat adhuc clarior, attendenda ſunt quædam eorundem motuum conſectaria alia, quibus annumeramus varias morborum Criſes & Eccriſes, quales morbum vel perfectè ſolvunt, vel ingens levamen afferunt. Quò ſpectant efflorefcentiæ variæ Cutis, imprimis in febb. ita dictis exanthematicis, petechialibus, Varioſis, Morbillis, Sudores, Diureſes, alvi dejectiones

nes Criticæ, Apoſtemata, Scabies, Inflammationes, Eryſipelata, Bubones, Anthraces peſtilentiales, quæ ſi incongruâ methodo & ordine præpoſterô tractentur, ut materia, quam Criticè proſcripſit Natura, intrò repellatur, non poſſunt non machinæ triſtes imminere caſus & ruinæ. Teſtantur id proh! obſervationes Practicorum abundè, quas poſſemus hic quidem in medium afferre, niſi nimium Diſſertatio excreſceret. Epilepſiam ex retropulſis achoribus, nec antè curatam, quàm achores iterum effloreſcerent, obſervavit *Hagendorn.* (*Hiſtor. 8. Cent. 1.*) eandem ex ſcabie retropulsâ *id.* (*Hiſt. 9.*) â Scabie retropulſa Catarrhum quoque ſuffocativum notavit *id.* (*Hiſt. 92. C. 1.*) Eryſipelati topicum â barbitonſore applicitum gangrænam & mortem attulit. (*H. â Moinichen obſ. 7. vid. pl. in Schol. Lanzonii in h. l.*) Poſſem in teſtimonium adducere exempla â meipſo obſervata, aſt quia ſunt odioſa, ſilentii peplo involvam. Unico ſaltem, eôque planè ſingulari, ab Excellentiſſimis hujus loci Medicis, (ex quibus meritò Honoris gratiâ nomino Medicorum Coryphæum, omniſque elegantioris literaturæ exemplar, *Generoſ. & Magnif. Dn. D. Petri ab* Hartenfelß / *Conſiliarium & Archiatr. Elect. Mogunt. &c. Facult. Med. Seniorem Venerabilem,*) obſervato exemplo dicta illuſtrabo. Laborabat puer quidam ſcorbuticus 14. circiter annorum ſcabie fœdisſimâ, adeò ut manè de lecto ſurgenti de corpore ichoroſa materia in ſubjectum pavimentum demanaret, ipſumque induſium rigidum redderet. Propinantur eidem â pharmacopæo Medicaſtro remedia in- & externa, & inter illa etiam decoctum Lignorum. Ex uſu pharmacorum talium quidem videbatur cedere ſcabies, ſed triſtior ſucceſſit eventus. Mox enim dolorem ſpaſticum, tractorium,

vibrativum atque lancinantem cum tumore & insigni rubore in dextro brachio persentit, non sine suspicione insecuturæ Gangrænæ & dein Sphaceli. Applicatô â Chirurgo, qui primus in consilium vocabatur, inconvenienti linimento, paulò pòst dextrò relictò sinistrum brachium occupat idem malum, subsequente sphacelo, ut color ater indicabat, & á supremis digitorum apicibus usq; ad cubitum extensô. Carne emortuâ incisâ, applicatôque decoctô, Chirurgis vulgò usitato, quod das schwarze Wasser vocant, altero die rubicundo rursus colore apparebat, cum sensu acuto, si incisuris lancettâ factis, & absque dolore pridiè inflictis, aquâ hac imbuta linteamina imponebantur. Nota autem, in brachii dextri cubito maculam quandam atri coloris & gangrænam minantem remansisse, magnitudine Imperialem non excedentem, quæ post factam incisionem & usum convenientium remediorum latius non serpsit. Medici Doctissimi atque expertissimi ancipites hærentes in casu hoc oppidò raro internis interim corpori prospiciunt. Decumbit aliquot dies Puer in eodem fermè statu, redeunte etiam in manum, imprimis pollicem sensu, utut obtuso. Post aliquot dies autem manum sinistram totam occupat Sphacelus, fœtet Caro & separatur, adeò ut Chirurgus manum jam demortuam à sano adhuc brachio, quod tamen subinde à sphacelo defendi debebat, separare cogeretur. Affulget nunc spes felicis curationis, Medicis atque Chirurgo officio suô probè fungentibus. Ex hâc observatione quid colligi liceat, cujuslibet prudentioris Medici Praxin cum Theoria conjungentis judicio relinquo, ut videat, quid distent æra lupinis. Quæro igitur, cùm miasma illud deleterium gangrænæ scorbuticæ causa in ipsis latuerit humoribus,

ribus, quod vaga mox in hac, mox in alia parte facta proruptio arguit, quare inquam, non universa corporis moles fuerit infecta? quare præcisè hanc partem & non vitale quoddam viscus (cùm tamen eadem pertransiverit, nec enim ex dextro brachio in sinistrum absque intermedio corde ulla via patet) invaserit? quare denique parte hâc sphacelatâ malum hoc sese non diffuderit ad reliquum corpus? Agenti necessariò igitur hæc adscribenda sunt, quod omnia in corpore operatur, materiam noxiam salutariter proscribit, & corpus quantum licet, quantumque materiæ noxiæ conditio permittit, præservat & tuetur, quod certa organa eligit, materiam excernendam designat, modum & motum contemperat &c. De pluribus aliis materiæ morbificæ proscriptionibus Criticis & Eccriticis evolv. *Diss. d.* Αυτοκρατεια *Nat. it. Doctiss. Schraderi de morb. quorundam Salubritate:* & partim ex ibidem allegatis, partim ex jam dictis, tales tibi nectas conclusiones: fieri hæc omnia activè ab Agente quôdam sufficienti notitiâ instructô, in utilem & corpori salutarem finem: efficaciam & concursum animæ activum arguere circumstantias omnes, tempus puta, modum excernendi, organorum electionem, quantitatis determinationem, activitatem denique proportionatam. Qua ratione autem particulares ejusmodi humorum translationes in specialissimis locis eveniant, abundè te docebit sæpius citata *Diss. de Mot. Ton. Vit.* aut si hîc repetes, quæ supra de motu Tonico particulari diximus, hic namque solus commotionum ejusmodi partialium moderator & director existit. E. gr. sit Animæ intentio hoc vitiosum in hac parte exterminare, tunc in vicinia musculosarum partium pori constringuntur, quô factô sangvifera vasa musculosas partes percurrentia comprimuntur & angustantur, ut materia ibidem subsistere

 coga-

cogatur, & vim ſuam, uti in dato exemplo corruptivam & putredinoſam ibidem exerat, reliquâ mole illæsâ, hoſtili nimirum illô

enſe reciſô,
ne pars ſincera trahatur.

§. 8. Ad habitudinem Animæ activam referendi quoque ſunt Errores ejusdem, utut enim prudentiſſimè actiones ſuas inſtituat Anima, nihilominus ſæpiſſimè errat, quamvis nec tunc planè intentione ſeu ſcopo utili, ad minimum apparenter tali careat. Anima in externis moralibus ſæpè gravisſimè & enormiter errat, nec minus in internis variis obnoxia eſt erroribus: videtur tamen, ubi de internis judicat, aliquam adhuc obtinere prærogativam, quàm ubi de externis, ratio fortè eſt, quod de internis judicet absque prævià ratione. Quemadmodum autem errorum circa moralia ipſum lapſum Protoplaſtarum eſſe cauſam non iniquè arbitremur, ita alteros illos circa negotia vitalia commiſſos in eundem primitus quin minus refundamus, nullam video difficultatem, obſtaculum nullum. Verùm nos cauſas morborum ex fonte hôc nimis remotô non quidem derivabimus, rectè enim *Hier. Fracaſt.* (*in præfat. oper.*) Cauſarum, *inquit*, cùm quædam univerſaliſſimæ ſint & remotisſimæ â rebus, quædam verò propinquiores & particulares magis, ac demum quædam propinquisſimæ & propriæ, proprias quidem & propinquisſimas in reconditis & difficilibus attigiſſe, aut Dei certè eſt aut divini: univerſalisſimis verò ſtare ignavi, & ruſtici ingenii eſt, medias verò inquirere, & ad proprias niti (quantum homini datur) Philoſophi certè eſt.

§. 9. Proinde erroneos motus ciet Anima, quando easdem commotiones, quibus aliâs pro ejectione peccantis materiæ uti conſvevit, nullâ materiali causâ lædente

existen-

existente adhibet, ut in animi passionibus supra recensitis; ita ad solam porrectionem medicamenti nauseosi, nondum ingesti, vomitu vel alvi dejectionibus contra illud insurgit: Vel si causa adsit, motibus haut proportionatis contra eam agit, circa externa actionis requisita, tempus incipiendi, gradum impellendi, proportionem cum subjecto, directionem ad effectum, intentionem ad finem &c. aberrando: Contingit id quandoque ex iisdem animi affectibus, præsertim suppressis, clandestinis, quæ cùm non possint defervere, nec vitiosa semel concepta idea deleatur, laxatis habenis in proprium corpus furiunt exemplo Podagricorum aut Calculosorum. Ita ex levi rosione membranæ interiora ventriculi aut intestinorum succingentis à lumbricis motus epileptici in infantibus oboriuntur; idem evenire solet, dentibus ex alveolis suis prodeuntibus, atque periostium cum gingivis perrumpentibus. Spectant ad hanc classem ex aliis causis levioribus excitatæ efferæ Toni vitalis intensiones seu Convulsiones. Trahuntur etiam hûc non immeritò morbi hæreditarii, habituales, Consvetudinarii, qui promptissimè vel planè nullâ, vel non adeò notabili causâ peccante in corpore hærente, ex solis immaterialibus intentionalibus causis concitantur. Docent hoc abundè, qui adsvefecerunt corpora sua Scarificationibus, Venæ sectionibus, purgationibus, talia si omittant, utplurimum varias turbas perferre coguntur. Memorabilia de his hinc inde annotavit exempla in eruendis morborum causis felicissimus Dn. D. Stahl, & imprimis notatu dignum est illud, quod memini me ap. Eund. legisse, de Tumore venæ, magnitudinem avellanæ majoris adæquante ex intermisso venæ sectionis usu. Sic anginam spuriam ab intermisso Tabaci & sternutatoriorum usu, impeditâ sc. exspuitione Salivæ, Tabacisugis familiari, notat *Binning.* (*obs. 50.*

Cent.

Cent.II.) Dum verò maximè causa insigniter lædens præstò est, aberrationes tales perpetrat, si vel tumultuariè, vel nimis trepidè, segniter, præcipitanter agit, aut per incongruas vias excretionem molitur. Denique error etiam dicendus est, ubi agere planè respuit Natura, corpusque desperabunda deserit. Huic verò placuit singulare Caput assignare, quod inscribimus de habitudine passiva, per quam nihil aliud volumus intelligi, quàm actionum convenientium omissionem ac desertionem.

CAPUT VI.

De
Animæ Habitudine ad Læsiones passiva.

§. 1.

VIdimus hactenus, quomodo activè Anima ad prævertendum læsionem vel imminentem, vel jam factã evertendã concurrat, nunc casus quidam pensitandi veniunt, ubi Natura planè ad impugnandum illud hostile se imparem judicat, id quod contingit vel ratione ipsius læsionis, si ea tam enormis sit, ut vel proximè damnũ inferat, sive quod minus ad subigendum materia lædens prædisposita sit; vel ratione partis læsæ, si pars scil. sit principalis, cujus usu Natura ne ad momentum destitui potest, vel cujus reparatio admodum est difficilis; vel denique ratione ipsius Agentis tædiosi, desperantis, anxii. Est insuper abstinentia ista à motibus vel totalis, vel partialis.

§. 2. Ratione læsionis id fieri solet, quando causa læsionem inferens est nimis activa, subtilis, præprimis si fermenti putredinosi efficacissimi characterem habeat. Apparet id in febribus malignis, quæ maximam & momentaneam virium prostrationem (quæ præprimis Toni remissioni debetur) cum pulsu debili & raro conjunctam habent,

bent, eoque sunt periculosiores, quo minus consvetæ commotiones febriles eas comitantur, corpora verò post mortem citissimè putrescere incipiunt. In sphacelosa pariter partis mortificatione â moderamine & directione Agentis pars talis excluditur, suoque relinquitur juri, quô factô promptissimè fermentationem putredinosam suscipit. Suffocatio itidem huc spectat â suscepto halitu vel vapore maligno, e. gr. ex diu conclusis conclavibus, cellîs, quas aër liberè perflare non potuit, qualia exempla annotata videbis in *Behrens Constitutione Rei Medicæ*, & cujus post funestum illud Patriæ incendium ex apertura cellarum tristis spectator adstiti. Cùm enim hæc tantæ sint energiæ, ut citò humores invadant, seque per totam humorum massam diffundant, & momentaneam corruptionem iisdem inducant, Anima contra hostem apertô Marte & impetuosè, haud subdolè irruentem insurgere desperat. Materia ad ejectionem & subjugationem minus apta est, quando longè subtilior est, quam ut poris Colatoriorum respondeat: cùm verò tali modô Agens vitale in suâ intentione turbetur, statim extremas illas desperabundas omissiones motuum, lipothymias, summas virium dejectiones, Mortes, subit. (*de Αυτοκρ. Nat. cap. 3.*) Quoad partem læsam verò, si pars præ alia magis necessaria, si vel ipsum Cor, vel Cerebrum &c. occupetur; si difficulter eadem sit reparabilis, ut in læsione Cordis vel pulmonum, de quibus sufficienter te instruet *Prop. Inaug. de læsione partium & actionum.* Ipsius Agentis vitiô contingere id solet, quando facilè turbatur, illicò ex leviori causa afficitur, ad res exigui momenti stupet, stationemque suam derelinquit, quàmprimùm levis saltem armaturæ miles arcem ejus conscendit. Prodit sese hoc vitium impr in

 deli-

delicatioris & mollis animi personis, specialiter sexus sequioris, & in infantibus, quos ex imbelli causa syncopticâ actionum vitalium desertione affligi senties, nonnunquam ex levi vitio quodam in diæta commisso, ex impressione, aut adspectu rei cujusdam tædiosæ; quò etiam referri debet abhorrescentia illa individualis à certis objectis, plerumque cum animi deliquio conjuncta. Ejusdem quoque census est historia, quam ipse notavi de Viro Celeb. Professore Theologiæ Helmstadiensi, qui intermissâ V. Sne & præterlapsis jam tum aliquot diebus, quibus eandem celebrare consveverat, in cathedra stans & docens Syncopticus ad tertam procidebat, adeò ut nisi quantocyus auxilium hoc fuisset reiteratum, certô certius ad plures abiîsset.

§. 3. *Universalis* motuum interceptio est Apoplexia, Catalepsis, Syncope, eaque perfecta ipsa Mors, quam nonnunquam præcedit Toni remissio seu flaccescentia oculorum, **daß ihnen die Augen brechen**: *Particularis* est in paralysi speciali, e. g. Hemiplegia.

§. 4. Referimus quoque ad habitudinem hanc passivam, quando quidem Anima non plenarie & omnes motus intermittit, sed saltem tunc eosdem negligit, ubi maximè reactione opus erat. Solet id frequentissimè fieri, quando diu & operosè Anima per motus spasmodicos varii generis sese à molesto exonerare studuit, effectu autem suo fuerit frustrata, tum enim à motibus remittit, materiâ licet nondum sublatâ, ex quo non possunt non Stases, & has sequentes obstructiones induci: quid verò jam frequentius est, quâm suppressos aut malè tractatos affectus podagricos sequi obstructionem lienis, hepatis; hinc abdominis inflationem, & tandem veram hydropem? Eôdem modô Epi-

lepsia

lepſia malè curata in paralyſin terminatur & tranſit, qualem Epilepſiæ in paralyſin metaſtaſin habet *Job. Schenk.* (*obſ. 187. Tom. 1.*) Dolores quoque Colicos inſecutus totius corporis Stupor, qui dein mutatus in paralyſin lethalem (*Binning. obſ. 56. Cent. III.*)

§. 5. Tandem hic quoque diſtinctionem inter commotiones paſſivas & activas notare non erit ἄτοπον. Has ſupra tradidimus: illæ verò ſunt, quæ non fiunt intentionaliter ab ipſa Natura, contingunt tamen eâdem permittente aut ſi activè fiant, non ex prima intentione profluunt, ſed quòd hanc inſeparabiliter ſequantur. Hùc accenſeri merentur ingentes narium hæmorrhagiæ ex potibus calidioribus, æſtate fervidiore &c. obortæ, quas comitatur ingens virium lapſus, ipſi potius ſangvini in orgaſmo conſtituto ſine ulla concurrente Naturæ activitate tribuendæ: Lethales item ſangvinis profuſiones in febribus malignis quandoque obſervatæ, ibi enim Natura utiliter quidem affluxum & refluxum ſangvinis frequentioribus vicibus repetit ex cauſis ſupra traditis, prædictæ tamen exitioſæ excretiones non niſi hujus motus conſectaria ſunt, ſangvinem namque intenſius motum excipit turgeſcentia, & hanc perruptio, quæ eſt præter intentionem primam.

CAPUT VII.

De

Utilitate ex hujus Habitudinis notitia in Praxin Medicam redundante, in ſpecie quoad Prognoſin.

§. I.

USus Practicus poteſt eſſe triplex: 1.) cognitio cauſæ, hujus verò non cujuscunque, aut phyſicè fiendi mo-

di, ſed in ordine ad Curationem, id quod egregiè & utiliter inculcat, *Prudentiſſ. Stahl*, docendo id exemplo vulneris phyſicè ſine reflexu ad reſtitutionem conſiderati. 2.) Prognoſis, quæ, propriè futura prædicit valdè probabiliter, imò verè. Utimur autem Prognoſeos vocabulo paululum in ſenſu latiori, ita ut ſimul prægreſſorum recordationem aut etiam ipſam Diagnoſin includat, atque adeò καταχρηστικῶς magis generaliter omnem σημείωσιν involvat. Uſi autem ſumus hac appellatione ideò, quod primariò & frequentius in præcognitione uſus hic ſeſe manifeſtet. Verum autem omninò eſt, finem Medicinæ non ſemper eſſe curare, in morbis ſcil. deſperatis, ſiquidem omnes morbos curare è diametro repugnaret ordini divinitus ſancito, ſed ſufficit Medico, ſi eventum certò poſſit præſignificare, & ita Artis ſuæ, quam profitetur, certitudinem demonſtrare. 3.) Therapia ſeu Curatio, quæ procedit ſecundum cauſarum cognitionem, & indicationes, quæ apta remedia ſubminiſtrant, partim applicando, partim ſpectando: interdum enim planè nullum medicamentum adhibere, oppidò magna eſt Medicina. (*D. Ludovici in Pharmac. ad præf. p. 2.*) De uſu hoc ultimo ſermonem feremus in *Cap. ſeq.* de priori autem exiſtimo in ſuperioribus nos fuiſſe prolixiores: igitur de ſecundo, quoad Prognoſin ſcil. hîc erimus ſolliciti, in quantum nempe hæc Animæ habitudo eandem nobis detegere valet: nihil ſiquidem magis commendat Medicum, vel ipſi exiſtimationem conciliat, quàm prudens Prognoſis teſte *Excell. Fr. Hoffmanno* (*in Fund. Med. p. 160.*)

§. 3. Habitudo Animæ ut ſæpiſſimè & ferè ſemper variat pro ratione corporis conſtitutionis, ita ex habitu corporis facilè vel activitas vel torpor ipſius Agentis colligitur. Quare non incongruè huc Temperamenta trahimus,

mus, ubi de proclivitate agentis ad hos vel illos morbos ſumus acturi, cum eadem partim indicia haud obſcura dent agilitatis Animæ, partim etiam vel magis vel minus habilitatem pro ſuſcipienda tali motitatione præbeant. Reſpicit enim Temperamentum, Craſin fluidorum & ſtructuram ſolidorum, quæ tum ſolida tum fluida non poſſunt non Naturæ actus vel reprimere & retardare, vel adjuvare & expedire. Variant igitur imprimis Morbi ratione Temperamentorum, adeò ut Medicus, ſi probam horum habeat cognitionem, (quam doctrinam pro more ſuo h. e. eruditê tradidit â nobis toties citatus) ſtatim judicare queat, quibusnam â natura morbis homo præ altero ſit obnoxius, cæteris quidem paribus. Taceo jam, quod ipſi animi mores ad habitum temperamentorum formentur (*d. Temperam. cap. 2.*) notavimus autem jam tum ſupra animi vires tum in morbis exſuſcitandis, tùm in horum decurſu alterando. Itaque qui ſunt temperamenti Cholerici in acutos & convulſivos morbos facilè incidunt. Si literati ſunt, ob crebras ac præcipites meditationes capitis doloribus, agrypniis, catarrhis acribus, doloribus lancinantibus obnoxii fiunt, in hecticam & phthiſin quoque proni ſunt, præſertim ſi ſint Melancholico-Cholerici, quibus livor cor abſumit. Melancholici in morbos Chronicos, hecticam, quartanam, malum hypochondriacum, palpitationes Cordis, Melancholiam & ſimiles præ reliquis ſunt proclives. Sangvineis apepſia, anorexia, arthritis, podagra, calculus, lues Venerea, paralyſis & apoplexia, hinc febres &c. familiares ſunt. Phlegmatici tumoribus, obſtipationibus viſcoſis, ſcirrhoſis, cruditatibus in primis viis, diarrhoeis, paralyſi, ſtupore, gravitate & dolore obtuſo capitis, vertigine, oculorum hebetudine, lippitudine, auditus debilita-

 tione,

tione, affectibus denique ſoporoſis infeſtantur (*vid. Diſſ. de paſſion. animi ſub moderamine Exc. Stahlii habita*) Dein alii morbi magis familiares ſunt pueris, alii adoleſcentibus, alii juvenibus, alii demum ſenibus, quorum integrum Catalogum recenſet *DD. Stahl* (*de infreqv. morb. perſ. p. 13. ſqq.* prolixiorem verò *diſſ. de Morbis ætatum.*)

§. 3. Non ſolum igitur, ut §o præced. innuimus, Medicus præſagire poteſt, quibus morbis in genere expoſitus hic homo ſit, quod eſt â Temperamento, ſed etiam quibus obnoxius forte fuerit, nunc ſit, futurus ſit, quod eſt ab ætatum diſcrimine (*d. morb. ætat. p. 5.*) Sic qui hæmorrhagias experiuntur ætate conſiſtente vel adultiore, in juventute tale quid expertos eſſe circa alia loca certò licet affirmare, niſi tunc alii vitæ generi fuerint addicti, aliâque uſi diætâ: ſi verò in juventute talia ſeſe exerant, prædici quoque poterit, hæc ætate adultiore ita eventura, locis licet disparibus, niſi quod rurſus addo, vitæ genus fuerit immutatum, & qui antea otio fuerunt dediti, exercitiis & laboribus nunc corpus fatigent. Et ſi licet tenuem meam in teſtimonium vocare experientiam, nuper Studioſus quidam mihi valdê familiaris per literas de fratris ſtatu phthiſi decumbentis certior factus, mea de hoc animi ſenſa ut aperirem, efflagitabat. Quæro igitur, cujusnam conſtitutionis ſit? habitus reſpondit εὐσάρκου & turgiduli, vultu floridô & roſcô, in actionibus agilem: ulterius mihi inquirenti, annon in juventa ſangvinis ex naribus ſtillicidium fuerit paſſus? annuit, & non ſtillicidium, ſed profluvium, ut nonnunquam amplum vas eôdem repleverit, cum ſumma tamen εὐφορίᾳ & levamine. Inſto, annon forte adſtantes conati ſint repellentibus & refrigerantibus fluxum hunc cohibere? affirmat. Quid igitur dubii reſtat,

ſtat, (ut hoc jam moneam) quo minus omnem hujus mali fomitem ab impeditô & ad pulmones repreſsô ac congeſtô ſangvinis motu derivem. Interim (cujus gratiâ ſaltem hæc adduxi) ex hac morbi ſpecie optimè ſtatim quæſtiones de transactâ vitâ formare potui.

§. 4. Præterea longævitatem & contrà vitæ brevitatem præſagire poſſumus, attendendo in motus cuilibet ætati congruos, ſi hi non anticipent & prævertant, vel contra: ſi puer patiatur motus ſenio aliàs proprios, e. g. excretiones hæmorrhoidales, earumque molimina, brevem fore ejus vitæ decurſum colliges: contrà ſi ſenio jam confectus objiciatur ejusmodi motibus, qui aliàs in ætate virili ſunt obſervabiles, vitam longæviorem polliceri poſſumus, conſentiente rurſus mecum *Aut. Diſſ. d.* Αυτοκρ. *Nat. Cap. II.* Podagrici, *inquiente*, quicunque jam annoſiores podagrâ corripi incipiunt, vivaciores ſunt, & provectiorem ætatem nanciſcuntur: qui verò juniores podagrâ laborant, Senium non, aut rarò attingunt. (*d. hæmorrhoid. intern. mot. p. 19.*) Idem exiſtimandum eſt, ſi in ſexu ſequiori juvenculas valdè & primâ ætate nondum egreſſas menſtruum purgamentum corripiat, quod exemplo puellæ 3. annorum menſibus vel ſaltem fluore uterino divexatæ, ætatis annô quintô intereuntis probat *Pechlinus* (*obſ. 34. lib. 1.*)

§. 5. Poſtremum ratione morbi eventus directè ipſum Agens ſeu Naturam, ejusque motus reſpiciat: qui ſi trepidè, anxiè, inconſtanter & tumultuariè, modò remiſsè, modò intensè agit, jam verſus hunc, jam verſus alium locum hoſtile illud commovet & propellit, hæc omnia eventum minus ſalutarem ſpondent: contrà verò, ſi activa, propoſiti tenax,

nax, ſemperque ſibi conſtans vegeto atque pertinaci reniſu obluctetur.

CAPUT. VIII.

De

Miniſterio ſeu Functione Medici circa hanc habitudinem Agentis vitalis.

§. 1.

ANtiquisſimum æquè ac verisſimum verbum eſt: *Medicus eſt Naturæ miniſter.* Breve dictum, at multâ ſapientiâ per plures plagulas vix dignè deſcribendâ, per totam verò praxin nunquam ſatis obſervandâ refertum; quippe verſatur in eo maxima pars prudentiæ Practicæ, hoc etenim altâ mente reponens non facilè voto excides, conſcientiam verò ſervabis immaculatam. Ut autem verum fatear, peccat contra hoc præceptum tota modernorum Therapia & ferè non toto die in hanc regulam impingit. Nos ut tutius hîc procedamus, ſequentia ponamus Axiomata Practica.

§. 2. Horum generale & palmarium eſt, ut Medicus Naturam, cujus miniſter audit in ſuis operationibus adjuvet, dum bonum finem intendit; 2.) ſi præter operationes laudabiles, utilitatem reſpicientes minus utiles & noxiæ has conſequantur, ut eædem ſaltem intenſione nimia excedant, tunc vel moderandæ ſunt, vel inhibendæ, aut ab illis reſcindendæ. 3.) ſi penitus erroneè agat, ab operibus erit avocanda. 4.) ſi ab agendo deſiſtat, excitanda.

§. 3. Hæc cùm ferè ſint generaliſſimæ indicationes, quibus intentô quaſi digitô Natura monſtrat, quid agendum, nec tamen tutò â quibusvis posſint inſtitui, niſi ſaltem ab iis, qui Naturam quoad primariam intentionem, dein hanc proſequendi modum, motum & ordinem conſvetum

ſvetum ſibi habent perſpectam; ideò de his aliquid dicere convenit.

§. 4. Natura, ut jam tum aliquoties innuimus, nihil aliud eſt, quàm Anima vitaliter agens, & hanc primariò ſub noſtræ conſiderationis incudem revocavimus: ejus prima eſt intentio, ut corpus ſuum conſervet, & à læſionibus liberet. Elegantiſſimè igitur *Clar. Schraderus* ſequentem in modum: Manet Natura Dux optima, nec facilè errat, qui illius genio ſeſe accommodat: utque hanc ſequentibus omnia facilia & expedita ſunt, ſic contra illam, ſcitè ſcribente Seneca, viventibus non alia vita eſt, quàm contra aquam navigantibus. *(d. Idioſyncraſ. diſſ.* §. *24.) Idem paulò poſt*: Agit quidem & naturæ interdum Rectorem Medicus, ſed utplurimum ejus miniſter audit, cui incumbit, præeuntis ſibi ducis motum ſollicitè obſervare, & quo vergit optima hæc morborum medicatrix, curioſius diſpicere, nihilque agere, quod eam in ægri ſalutem aliquid molientem ullo modo turbet, aut impediat.

§. 5. Vidimus ſupra modum, quem naturaliter in ſui corporis conſervatione ſequatur, læſionibus autem imminentibus eosdem motus naturales intendere, dictum quoquè eſt, ut id, quod lædit, quocunque modo; vel enervet, aut per ſecretiones & excretiones commodas & maximè ordinarias ejiciat. In his autem omnibus ordinis eſt tenaciſſima, & temporis obſervantiſſima, variantis ſecundum ætatem, ſexum, temperamenta, niſi quædam interveniat Conſvetudo, aut alia ſpecialis cauſa ordinem hunc interrumpat. Cùm autem hæc ſuperius abundè ſatis fuerint prolata, & hîc repeti ex ſupra dictis facilè poſſint, iisdem præſuppoſitis, utilitatem nunc Practicam inquiramus, & quid Medici officium ſit, & quid quantumve is præſtare

pos-

possit & debeat in Curatione morborum, videbimus. Vincit quidem Natura citra artis auxilium morbos, verùm omnia Naturæ permittere, ut Ferdinandus Imperator dicere solebat, modica est scientia: Dei quidem & Naturæ est sanare: Medici verò curare, (quantum in ipso est) & ne quid natura detrimenti patiatur providere, sunt verba trium Impp. Archiatri felicissimi *Cratonis* (*vid. Scholz. Consil. 239. p. 705.*

§. 6. Medici primum fundamentum hoc est, ut sciat Motibus omnia in corpore fieri, motuum & plurimas esse & gravissimas læsiones, motibus in effectum deduci medicamenta, motus esse restituendos, per motus esse sanandum: ad horum (NB.) tempora, gradus, directiones, intentiones seu fines attendendum esse. (*DD. Stahl in prop. Inaug. annex. diss. d. morb. habit. ubi & reliqua hujus loci merentur relegi.*) Dein illud, quod passivum est, tollere & expugnare; illud verò, quod activum est, adjuvare, expedire, sublevare, promovere, moderari, atque ad scopum utilem perducere, meminerit Medicus. (*d. Inflamm. ver. pathol. in prooem.*) Porrò noscat causas horum motuum, materiam vel quantitate vel qualitate peccantem, ætatem, sexum, animi proclivitatem, hæreditariam diathesin, consvetudinem, & ejus generis alia. Quæ omnia aliô in locô (*diss. d. mot. hum. spasm. p. 44.*) contrahit disertissimus Autor, dicens: Quantitatem Materiæ & mobilitatem: Qualitatem Mixtionis, & quæ ipsi nocent, Excernendorum: Motus, per quos tàm Conservatio, quàm præservatio peragitur: Et quod totius rei complementum est, Motuum horum directiones, secundum proportionem materiæ, juxta tempus certum, gradum convenien-

tem, organum concinnum, & effectum utilem, rectè dignoſcere & uſui ſuo applicare diſcat Medicus.

§. 7. Dum verò animus eſt, prudentiſſimis monitis his generalibus ſpecialiora quædam practica exempla ſubjungere, ſeu aliquô modô Therapiam iis applicare & ſuperſtruere, quantum præſens negotium efflagitat, repetimus tum ex ſuperioribus, tum ex Autore Noſtro (*d. morb. ætat. in prooem.*) duo ferè eſſe ſumma genera morborum; Quantitatem ſangvinis admodum abundantem, & Spiſſitudinem ejus valdè inſignem; è quibus unum tertium ſuccedit, nempe motuum vitalium activorum, aut paſſivorum anomaliæ. Ita ut ſangvinis illæ *ἀταξίαι* materialem cauſam morbi conſtituant; motus verò anomalia modò inſtrumentalem, modò formalem rationem habeat, prout variè conſiderare affectus tales libuerit. Rurſus autem moneo, me prioris poſitionis adhuc probè memorem ubique oſtenſurum Naturæ motum, ejusque me fore miniſtrum; Correctorem verò anomaliæ eorundem.

§. 8. Cùm igitur frequentisſima læſionum cauſa exiſtat ſola ſangvinis copia, tàm ſangvinis propriè dicti, quàm reſoluti in ſubſtantiam lymphatico-ſeroſam, hinc ubi fiunt ejusmodi excretiones purè ſangvineæ vel ſeroſæ, nullatenus in opere hoc impediri conatus Naturæ debet, niſi velit in ſummum vitæ periculum præcipitare ægrum, ſibi verò ſuæque famæ peſſimè conſulere Medicus. Teſtantur hoc plurima, eaque triſtiſſima exempla. De hæmorrhagiæ naris ſiniſtræ ſuppreſſione periodica, deliriis, convulſionibus & morte tandem excepta vid. *Binning.* (*obſ. 21. Cent. V.*) huic junge *hiſtoriam 20. Cent. 1. Hagendornii*; Scabiem malignam ex occluſis hæmorrhoidibus notat *Ga-*

 bel-

belchov.(Cent.III.obs.22.) & in *Annot.* ad hunc casum alia quoque mala ex his suppressis ortum duxisse docet. Iis stato tempore non fluentibus, ea symptomata pati solebat æger, quæ patiuntur mulieres in mensium suppressione, prout habet *Hannemann.* (*in Act. Hafn. vol. 3. obs. 18.*) Cordis palpitatio cum variis symptomatibus stipata in Imp. Maximiliano II. vid. ap. *Mercurial.* (*Consil. Medic. 111.*) ubi A. superfunctoriè mentionem facit hæmorrhoidalis sangvinis non exeuntis, quem fluxum promovere, non parum in hoc casu conducere existimat idem, id quod proin non solùm in hoc, sed & aliis affectibns utiliter svadet, uti videre est in Ejusdem Responsis & Consultationibus Medicinal. quàm plurimis. De dolore articulari cum interpolato sangvinis fluore è naribus Idem. (*Consil. 32.*) Gonorrhoeæ importunè cohibitæ in ingentes testium tumores desinunt, eodem teste (*Cons. 4.*) Imò pluribus possemus dicta corroborare, si observationum Scriptorum scrinia expilare & excutere hîc esset animus. Imprimis confirmant hoc consvetæ lochiorum vel mensium fluxiones suppressæ: Sic varia symptomata ex diminuta purgatione à partu *Gabelch.* (*obs. 38. Cent. 1.*) annotat, ex inordinato & parco mensium fluxu Epilepsiam *H. ab Heer.* (*obs. 24.*) Cordis tremorem cum aliis symptomatibus ex menstruorum diminutione *Mercurial.* (*Consil. Med. 80.*) Contrà excretiones ejusmodi non solùm Corpus immune servasse, sed & à morbis liberasse, edocent itidem exempla quotidiana. Sangvis à puero per tusses in magna copia sine noxa rejectus ex observatione *Pechlin.* (*obs. 43. libr. 1.*) Catalepsi ex plethora detenti copiosâ narium hæmorrhagiâ liberati exemplum habet *Jo. Schenk.* (*obs. 109. Tom. 1.*) De palpitatione Cordis cum tumore hæmorrhoidum &

venis

venis varicosis, hæmorrhagiâ narium quandoque emolumentum afferente, *Mercurial.* (*Consil.* 35.) svadet hinc A. detractionem sangvinis, impr. ex hæmorrhoidibus. De salubritate fluxus hæmorrhoidalis *vid. Thomson. Chymiatr. Acus Magnet. p.* 40. *Hollerius de morb. intern. cap.* 55. *l.* 1. *idem in Scholiis & ad libr. Gal. de comp. med.* κατὰ τόπους *Perioch.* 8. de hæmorrh. excitandis, *Hippocrates aph.* 11. & 12. *lib.* 6. *Sect.* 3. *Epid.* 3. & *Sect.* 6. *Epid.* 3. *Heurnius in Comment. ad aph. Hipp. cit.* De salutari verò eventu sangvinisfluxus per urinam *Excell. D. D. Præses* (in supra all. Diss. §. 14.) *Hollerius in Schol ad cap.* 52. *l.* 1. *d. morb. int.* & *Nesterus in elegant. observ. de Mictione cruenta hæmorrhoidali, adject. Promptuar. Mat. Med. Macasii.* Imò plurimi morbi, quibus sexus sequior in tenella ætate infestatur, non antè sæpè cessare solent, quàm menstruum debitum solvant, viris maritentur, ingravidentur, & lochiorum fluxu purgentur. Debent igitur talia Naturæ molimina nullô modô sisti, imprimis ubi jam Consvetudo accesserit; sed exsuscitari, ubi deficiunt, vel supprimuntur; (*de quo Hollerius l. c.*) moderari, si nimia sint; (ubi præ cæteris præsentaneam operam navabit *Crocus Martis Antimoniatus*, *D. D. Stablii*, cujus parandi modum exhibet in *Obs. suis Chymico-Physico-Med. oppidò raris Mens. Jan.* 1698. *p.* 391.) si in loco incommodiori, per pulmones tussi, per ventriculum vomitu &c. fiant, aliæ viæ congruæ quærendæ sunt. Ubi autem nondum huic excretioni fuerit adsveta Natura, sangvis interim turgeat, tunc aliô modô copia ejus erit imminuenda. Primum consilium hîc esset, ut lautiori cibo aliquid detrahatur, hinc abstinentiâ solâ Aurelianus Cæsar, si Vopisco fides, pro omni pharmaco usus est, *citante H. ab Heer.* (*obs.* 1.) Cùm verô seculi luxuries Medicorum monitis aures

obthuret, proin exercitia & motus corporis, non tamen adeò vehementes & impetuosi, sed leves & successivi erunt svadendi. Sicut enim Naturæ communissima via, nimiam copiam sangvinis placidè imminuendi, est successiva ejus consumptio per colliquatoriam resolutionem in serum; hæc verò ordinariò motu sangvinis circumpulsoriô absolvitur: ita imitari hanc possumus arbitrariô motu corporis, qui duabus vel tribus horis tantum perficiat, quantum placidissimus ille, viginti vel triginta horis, *monente Stahlio* (*d. morb. ætat. p. 34.*) Hæc ratio subest, quòd fœminæ rusticæ aut laboribus deditæ parcius menstruentur, *observante Pechlino* (*obs. 35. l. 1.*)

§. 9. Altera læsionum causa, valdè quoque frequens, & ex priori scaturiens est sangvinis & humorum Spissitudo, ex qua oriuntur Stases in certis partibus, e. gr. in vena portæ, aut adjacentibus visceribus, liene, hepate &c. quæ vena portæ plurium malorum porta est, (de quo in singulari Diss. Exc. DD. Stahl) qui affectus ex hac causa orti insigne levamen sentiunt ex spontanea sangvinis proruptione, commodiori quidem per hæmorrhoidalia vascula, minus tutâ verò per vomitus & mictum. Hæret autem ipsius hypochondriaci affectus fundamentum frequentissimè in nimio Venæ portæ suffarctu & conterminorum vasorum mesaraicorum laxitate, â congestione sangvinis circa ipsam facta, (*d. mot. hum. Spasm. p. 33. cap. 8. & famigeratiss. Meibom. de Sangvin. eductione* §. 40. & 48.) nascente hinc Spissitudine, & ad hanc expediendam subinde susceptis spasmodicis circa has partes motitationibus: quæ laxitas & atonia continuatô leniter adstringentium usu, v. g. Martialium, præcipuè pulverulentorum, sicciorum, salinâ substantiâ minus saturatorum sensim restituitur. Unde patet,

tet, quamobrem in hypochondriacis, seu ſpleneticis & hepaticis affectibus antiquitùs fuerint commendata ea, quæ efficaciâ ſubadſtrictoriâ gaudent. (*DD. Stahl in obſ. Chym. Phyſ. Med. M. Jan. p. 388.*) Opponitur huic humorum diſpoſitioni nimia eorundem Tenuitas, ubi ſcil. activiores particulæ, quæ per continuam ſangvinis propulſionem attritæ excerni debebant, retinentur, & fermenti inſtar reliquam maſſam nimis attenuant. In talibus caſibus, uti & in priori ſuccurrit Natura motu humorum intenſiore & citatiore, tenuitati quidem per frequentiores excretiones, craſſitiei verò per conſumptionem ſangvinis reſolutoriam, attenuatoriam; hinc enaſcuntur febriles commotiones, ratione materiæ peccantis & loci, in quo ea nidulatur non nihil diverſæ, qui proin motus Naturæ ſaluberrimi & omninò prudenter ad ſcopum utilem dirigendi. Obſervante enim accuratè ſagaciſſimo Stahlio (*d. Αυτοκρ. Nat. it. in probl. d. febb.*) ex quibusvis febribus acutis, etiam gravioribus contagioſis peſtilentibus plures ægri convaleſcunt, ſine omni medicamento, quàm per vulgares medicationes, generoſa dicta remedia, vomitus, purgationes, regimina Sudorifera, Venæ ſectiones &c. Et Febrim bellum contra inimicum humorem ſusceptum, remque non perniciosam, ſed utilem eſſe judicat *Campanella l. 1. d.* ſenſu rerum c. 13. quem in Diſp. ſua Inaug. *d. Archeo Fabro Febb. intermitt.* allegat *Excell. D. D. Jacobi*, in Chemiæ ſacris revelandis multùm deſudans, Præceptor & Patronus meus ævùm ſuſpiciendus. Quo etiam in loco (§. *13. & 15.*) intermittentium cauſam optimè eruit. Igitur nullatenus febris ſtatim in principio antifebrilibus ejusmodi ſpecificis eſt tractanda, quæ, dum in herba adhuc eſt, eandem jugulent; docet enim quotidiana obſervatio, hoc modo

cor-

corpora reddi cachectica, hydropica, imò per totum reliquum vitæ tempus valetudinaria. Quâ methodo verò circa febrium medelam progrediendum ſit, ſingularem ſibi vendicat tractationem, propterea hîc ego nullum verbum addo, ſed potius B. L. commendo varias ab Exc. DD. Stahlio hactenus in lucem editas Diſſertationes, & ex his præprimis *Problemata Ejus de Febribus*, ex quibus optimè genium hujus affectus cognoſcet, cui dein ipſa methodus in adjuvandis naturæ intentionibus facilè erit ſuperaddenda; id quod faciliori negotio abſolvere poterit, ſi reliqua hujus Autoris ſcripta adjungat, in quibus mentem de Feribus, hactenus eruditorum ingenia mirè torquentibus, & variis ſchiſmatibus anſam ſuppeditantibus, optimè explicuit; qualia ſunt, quæ ſparſim hinc inde allegavimus, & ex quibus ſpicas has collegimus. Moneo autem iterum iterumque, ut ſicuti ſemper, ita imprimis in hoc affectu, dum nititur Naturam in excretionibus juvare, probè cognitum ſibi habeat modum atque morem movendi, tempus, gradum, ipſos etiam motus inutiles & paſſivos ab utilibus & activis probè diſcernat, niſi enim omnes circumſtantias perſpectas habeat, non poteſt non Medicus fallere æquè ac falli.

§. 10. Ex prioribus humorum conſtitutionibus fluit tertium læſionis genus, quod formant varii affectus ſpaſtici ſeu Spaſmi incompleti, (quandoque etiam completi) motus dolorifici, hæmorrhagiarum conſectaria ſeu molimina, quales ſunt Cephalalgia, Otalgia, Ophthalmia, Aſthma ſiccum, defluxiones Catarrhales ad pectus, dolor lateris punctorius ſine febre, Arthritides, Colicæ, Nephritis &c. qui affectus omnes dependent à congeſtione ſangvinis circa ea loca erupturi, quos proin motus eluctatorios nun-

cupat

cùpat Autor noster, eructatorios verò, ubi exitum inveniunt. Quoniam autem hæc mala primævam originem agnoscunt sangvinis copiam, ideò ejusdem imminutio non erit de nihilo & frustranea. Temporis autem hîc habenda est ratio, ut sæpè monitum. Curationum enim animæ sunt temporum opportunitates juxta prudentissimum monitum *Exc. Frid. Hoffmann. (in Fund. Med. pag. 190.)* Non conducet igitur sangvinis detractio instante ipsô paroxysmô, atque ita curativè, sed brevi ante ejus invasionem, atque ita præservativè. Hinc contra arthriticos insultus, præcipuè nondum habituales, experientia sanè suggerit Medicationes, si non undiquaq; securissimas, certissimas sanè sangvinis convenientes evacuationes (*de Αυτοκρ. Nat. Cap. II*) De usu V. S. in arthritide *Gabelch. (Cent. IV. obs. 32.)* & *J. Lanzonius (in annot. ad obs. 8. H à Moinich.)* Insultus Epilepticus phlebotomiâ sanatus ab *Henr. ab Heer* [*obs. 29.*] Ad dentium dolores fugandos unicum remedium esse fatetur *Dimerbrock* sangvinis detractionem, quod confirmat *Riedlinus.* [*vid. obs. 1. H. à Moinichen cum annot. Jos. Lanzonij*] Vicem Venæ Sectionis supplent Hirudines aut Cucurbitulæ. Si verò in motu tali congestoriò & hunc sequente dolore spasticô locum non inveniat V. S., quod consideratis diligenter omnibus circumstantiis Medicus expiscetur, moderativa saltem exhibere & propinare poterit, quæ in ipso præcipuè paroxysmo adhibere expedit. Exulent hîc Opiata, nisi prudentissimè administrata, alioquin narcotica necrotica fieri possunt, uti imprimis in febrientibus id ita evenisse videre est *ap. H. ab Heer (obs. 5.)* Contra verò laudantur temperantia, Nitrosô-Cinnabarina, diluentia & leviter discutientia, Carminativa (*de Mot. hæm. int. de Podagra pag. 32.*) Elegantissimus modus est, quem sequitur *Noster (Diss.*

de nova pathol. Calc. renum pag. 16.) in lenitione Calculi, certo respectu in aliis ejusdem generis affectibus applicandus. Non commodè peragitur, *inquit*, lenitio per Opiata, nisi sollicitè conjungantur alexipharmaca, & ipsum regimen mediocriter diaphoreticum: secus enim si fiat, 6. insignia exempla nephritico-arthriticorum intra parvum tempus notavi, qui ab Opiatorum usu, paucis horis aut diebus sanè perierunt. Non expedit (*ulterius c.l. pag. 18. fatur*) Calculum pellere. Nostrâ methodo & quotidianâ experientiâ practicâ nihil hic præferimus Nitro, cum Sale aliquo digestivo, de ⊕lico-♀eorum genere; abstinendo ab illo Sylviano, & aliis è Sale communi præparatis. Addimus mediocrem dosin Cinnabaris. Quo sanè remedio in præoccupando, minuendo, imò tollendo paroxysmo, plus & quidẽ paucô tempore obtinetur, quàm per multas pretiosas formulas. Eorundem motuum spasmodicorum egregium Domitorem se quoque præbet *Balsamus* ♉ *ij D. D. Præsidis* elegantissimus, nec minus ♉ium Diaphor. ex Regul. ♁ ij ♂tiato, cujus insignem usum prælaud. Dn. D. Præses expertus est in affectibus arthriticis leni imperato sudore. De singulari efficacia Salis Nitri præter toties laudata Scripta Doct. Stahlii vid. *Melch. Fricci Jcon Podagr. p. 139.* In applicandis externis cautè procedas: ex prava epithematum applicatione morbum retropellentium funestos eventus plures collegit *Dn. D. Stahl (de morb. retrograd. §. 22.)* Podagricus pedi dextro spir. vin. plantis nervinis ac discutientibus affusum applicans in hemiplegiam dextri lateris incidit: cùm verò tertia vice sinistrum quoque crus inungeret eodem remedio, obiit hemiplegia sinistri lateris *observante Rivino. (cit. Aut. jam allegato)* Conforme huic est, quod recitat *Hagendorn.* [*Hist. 28. Cent. 1.*] de podagra, epithe-

pithemate ex▽is ♌latis cum Cerussa, Camphora &c. confecto feliciter quidem profligatæ, ast insecutâ hemiplegiâ. Ita dolore Colicô sopitô mira symptomata oborta sunt, quæ tandem ipsa mors solvit, (*eôdem Hagendorn. annotante*) Confer. *Binning. obs. 36. C. III.* qui post metastasin Colicæ in caput, cœcitatis cum aphonia, paralysi & morte exemplum allegat. Sic Thonerus ex Colica notavit Epilepsiam *obs. 93.* (*cit. eod. Aut.*) Evolv. quoque *H. â Moinichen obs. 7.*

§. II. Ubi verò ejusmodi motuum exorbitantiæ citra causam aliquam lædentem fiunt, tunc utique tanquam erronei sunt sistendi. Contingit id in plurimis morbis hæreditariis & habitualibus, ad quos inducendos levissimæ irritationes sufficiunt. Assvefacti enim sæpissimè etiam sine multa, aut sanè sine intolerabili materia recrudescunt, quos multis materiam imminuentibus, discutientibus, repellentibus, partem roborantibus &c. aggredi non modò absurdum, sed sæpissimè sanè noxium est: interim alios cum materiæ molestæ saburrâ affligentes, hâc neglectâ Opiatis, demulcentibus, purè nervinis, refrigerantibus &c. oblinere, & stolidum & frequentissimè nocentissimum existit. (*de mot. hum. spasm. cap. III. pag. 14.*) Si igitur morbus nequaquam â læsionis magnitudine physica, sed ab ipsius animi habitu dependeat, lenia Opiata & in refracta admodum dosi cum Cinnabarinis, Nitrosis remixtis locum invenire possunt, omniaque, quæ animo tranquillitatem reddere valent. Conducunt hîc Specifica, morales res etiam externæ, quæ animum placare possunt. Prudenter enim scriptum est â Platone in principio Charmidis: Cuncta mala corpori ab animo accedunt, qui nisi â morbis curetur, corpus rectè curari minimè potest, teste *Mercuriali Cons. 6.*

Plurimum hîc prodeſt gaudium temperatum, amor, ſpes &c. imò proſperitas totius vitæ noſtræ dependet ab expectatione meliorum ex mente *Thomſonij* (*in Chymiatr. Acu Magnet. pag. 48.*) Speciatim verò animi medicinam præbet ipſa Muſica utpote quæ *juxta Fracaſt.* (*Dial. de Anima p. m. 510.*) in animam latentem vim & conſenſum habere videtur. De Muſicæ vi & efficacia in mentem humanam ſermocinantem adi *J. Heurnium* (*de human. felicit. Op. Tom. II. pag. 114. col. b*) Modulos molles ac Jonios laudat in deliriis *Exc. Sperling.* (*diſſ. d. deliriis cap. 5.*) Doricis in motum inordinatum ſpiritus redigentibus rejectis. Exemplum hujus virtutis & efficaciæ ſacra Scriptura nobis ſuppeditat, Davide namque pſallente Saul ſvavitate Muſicæ delinitus, ab infeſtatione Dæmonis quietem habebat (*Marc. Marc. in Phil. vet. reſt. p. 394.*) Quâ ratione autem hic conſenſus animi cum Muſica fiat enodare nititur *Exc. DD. Præſes:* [*diſſ. d. Magnetiſm. Macro- & Microcoſm. p. 20.*] Præter Muſicam placidæ animi fluctuum compoſitiones, perſvaſiones, confabulationes amicæ plurimum quoque juvant. Cardanum doloribus podagricis detentum ſeverioribus meditationibus eosdem ſuperaſſe legimus, *teſte Clar. Vatero* (*d. dolorib. § 32.*) Quæ procul dubio etiam Senecæ mens fuit, quando crus nihil ſentire dixit, ubi animus in cœlis eſt; unde ſaluberrimum Sapientum conſilium obſervandum: Noli cogitationibus mala tua graviora reddere, aut querelis te onerare: levis enim dolor eſt, ſi nihil ei opinio adjecerit. (*Id. l. c.*) Phantaſiæ etiam vis hîc valet, (*vid. diſſ. Exper. DD. Werckmeiſter. d. Imagin. it. Ill. Wedel. d. Transplant. morb. §. 45.*)

§. 12. Commendavimus item in hoc paſſu Specifica, in quibus commendandis non ſine cauſa prolixa fuit anti-

qui-

quitas effato *Autor.* (*d. infreqv. morb. perſ. p. 27.*) & quamvis cauſa operationis abſtruſa ſit,ut quis ea ad ἀναιτιολόγητος *Dioſcoridis* (*l. 6. cap. 34. cit. Lev. Lemn. Occ. Nat. mir. in præf. ad Lect.*) referre poſſet,ex eo non ſtatim effectus eorundem pro nullo eſt habendus. Operantur autem utique ferè immediatè, idealiter & irradiativè in agens noſtrum vitale. Experientiâ *Ill. Boyl.* (*tr. d. ſpecif. p. 164.*) lapis ex capite ſerpentis Africani exemtus plurimum valuit adverſus venenatos animalium morſus. Atteſtante eodem (*in Tentam. Phyſ. p. 17.*) experientiâ in Italia quotidianâ innoteſcit,ſymptomatibus ex ictuScorpionum ortis facilè obviam iri, ſi Scorpio attritus vulneri apponatur aut oleô Scorpionum pars læſa inungatur. Geſtationem annuli ex dente hippopotami aut equi fluviatilis tornati contra violentos ſpasmos *idem* commendat (*d. Specif. p. 94.*) cujus integer hîc tractatus videatur. De viribus lumbricorum terreſtrium in variis morbis *vid. Dravviz* (*d. Scorbut. p. 32.*) Contra arthritidem vagam verum ſpecificum & ferè unicum antidotum eſſe lumbricos perhibet (*c. l. p. 31.*) Conſcripſit de eorum virtutibus integram Diſſertationem *Doct. Stahl*,& certam eorum efficaciam adverſus Epilepſiam præprimis deprædicat (*p. 13. ſq.*) Anthera ſeu pulvillus inſidens muſco terreſtri clavato in Iſchuria commendatur à *Magnif. Wedel.* (*in Eph. Germ. obſ. 15. Ann. 72.*) Foemina hæmorrhoidum fluxum nimium paſſa Evporiſto egregio, ſolo nempe Polygono ſub axillis poſito illum compeſcere ſolita eſt (*id. c. l. obſ. 22.*) In menſium fluxu nimio Uſneam Cranii humani violentâ morte interemptorum commendat *Excell. DD. Præſes*, experientiâ edoctus. De variis medicamentis occultâ, ut ajunt, proprietate agentibus *vid. Renod.* [*Diſpenſ. Med. p. 17.*] Imò

plena horum ſunt Practicorum monumenta. De pœoniæ uſu antepileptico *Jo. Schenck.* (*obſ. 203. Tom. 1.*) De inſigni virtute antepileptica ejusdem radicis collo appenſæ vid. Galen. & Boyl. [*d. ſpecif. p. 94*] Colurnum viſcum epilepticis aliisque capitis affectibus obnoxiis quernô longè utiliorem cenſet *Henr. ab Heer.* (*obſ. 8. l. 1.*) Imperatoriæ radix amuletum contra eandem (*Eph. Germ. ann. 74. obſ. 42.*) *Riverius* laudat pulverem Valerianæ. Fel canis ad aliquot guttas exhibitum tanquam infallibile Evporiſton laudatur *ab Hannemanno* [*in Act. Haffn. vol. III. obſ. 20. p. 31.*]

§. 13. Natura denique, ubi operationes ſuas intermittit, excitanda, admonenda per remedia vulgò dicta Spirituoſa, Cordialia, Corroborantia. Generalia hîc medendi præcepta tradere arduum eſt, ne dicam impoſſibile. Singuli ferè caſus ſpecialem quoque efflagitabunt, imò ſpecialiſſimam curandi methodum. Quare hîc filum abrumpo, & Coronidis loco aureum monitum toties laudati, nunquam tamen ſatis laudandi Autoris noſtri affigo, quod in *Prop. Inaug. d. Synergia Nat. ann. diſſ. d. pasſion. animi* habet: Commotiones quæ â morbo fiunt, & quæ propter morbum, Medicus acutiſſimè ſejungat: Symptoma à Synergia, Paſſionem ab Actione, Nocens à Juvante, peritiſſimè diſtingvat. Motus ad utilem finem vergentes agnoſcere diſcat, juvare, promovere; Correctiones materiæ facilitare, imò quantum poteſt, ipſe præoccupare laboret: Vias præcipuè, ad quas maximè vergit Cooperator, expedire nitatur. Si per errorem hujus minus congruæ ſint viæ, ad quas tendit, placidè & modeſtè aliorſum invitet; Commotiones ipſius nimias placare, mitigare, demulcere intendat: Errabundas & inſtabiles in viam revocet, eamque

ipſi

ipſi repurgare & proclivem reddere quærat: Trepidationes anxias, deliras, deſertiones lipothymicas, quocunque poſſibili modo conſoletur, reſtauret, reficiat: Si in his omnibus refractarium videat Collaboratorem ſuum, certô & veraci Prognoſticô, prodi à Socio Rempubl. maturè denuntiet.

S. D. G.

LECTOR CANDIDE!

IN Te convertebatur Oratio noſtra, dum præſentem telam pertexere aggrediebar, nunc eâdem abſolutâ rurſus eris compellandus atque orandus, ut omnia hæc æqui bonique conſulas. Fateor non fuiſſe materiam hanc pro dignitate enodatam, quia partim chartæ & ſumptibus peperci, ceu quæ jamtum ultra votum nimis accreverunt, partim etiam pro elegantiore expolitione iis auctoribus, qui mihi in hoc argumento prodeſſe poterant, deſtituor, partim verò etiam, quod dogmatum Ejus, cujus filo quaſi Ariadneo in hoc labyrintho uſus ſum, quique primus hoc in negotio glaciem fregit, non ſufficienti, acuratiore & ſolidiore notitiâ ſim tinctus. Utut igitur non ſemper ſcopum attigerim, collimavi tamen adſpiravi, cùm Legibus Academicis exigentibus aliquid, licet adhuc crudius dicendum erat. Quamobrem,

rem ſiquid minus arrideat, non ſtatim ſibilô dignum judica, & memento, me eſſe hominem, & ab erroribus non alienum. Meliora daturus ſum, annis & judicio creſcentibus, ſicubi comperiar, quod æqui Lectoris Benevolentiâ tanquam firmô clypeô contra obtrectantium tela me tueri poſſim.

